

**Antonii Matanii De aneurysmaticis praecordiorum morbis  
animadversiones.**

**Contributors**

Matani, Antonio Maria, 1730-1779.

**Publication/Creation**

Liburni : Apud Jo. Paullum Fantechium ad Signum Verit, 1761.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/n45vex5r>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

**DE ANEVRYSMATICIS  
PRAECORDIORVM MORBIS.**

DE ANEARYSMATICS  
PRAECONDICAVM MORTIS.

ANTONI MATANI  
PISTORIENSIS  
IN ACAD. PISAN. PVBL. PROFESS.  
SOC. MONSPEL. SODAL.

DE ANEVRYSMATICIS  
PRAECORDIORVM MORBIS  
*ANIMADVERSIONES*  
EDITIO ITALICA SECUNDA  
CORRECTIOR ET AVCTIOR.



LIBVRNI MDCCCLXI.


---

APVD IO. PAVLLVM FANTECHIVM AD SIGNVM VELIT.

---

*Praefidibus adprobantibus.*

ANTIQUAM  
PISTORIENSIS  
IN ACADEMIA PISSANA PROFERENS  
SOC MONSPELII SOCIATI  
DE ANTIQUAM  
PRAECEORDINUM MORBI  
ANIMAE RESONAS  
EDITIONE ITALICA SECUNDABY  
CORRECTION ET ACTIONIBY



LIGA RINI MDCCXL

AD IUS PAPALEM FESTIGANDAM IN ROMA MEGIT

Thesaurus Bibliophilorum

V

VIRO INLVSTRISSIMO  
**ANTONIO MORMORAIO**  
FLORENTINO  
IN REBVIS EQVESTRIS ORDINIS  
**DIVI STEPHANI**  
ET ACADEMIAE PISANAE  
AC FLORENTINAE  
**PRO AVGVSTISSIMO CAESARE**  
AVDITORI &c. &c.

**ANTONIVS MATANI**

F. P.

**P**Erspectum exploratumque omnibus est VIR INLVSTRISSIME haud exiguum literariis elucubrationibus conciliari splendorem , quandoquidem ipsae pervetusta consuetudine atque instituto  
opus.

maiorum viro alicui consecrentur, cuius animum nobiliorum virtutum ornamenta conlustrant. Quare nihil, ut arbitror, magis iucundum & opportunum mihi poterat evenire quam ut alteram opusculi huius editionem non parum observationibus auctam in lucem emitterem Tuo praecipue nomine condecoratam. Ac profecto neminem latet praestantissimas animi Tui dotes summis esse laudibus celebrandas: Vidimus namque ipsum Augustissimum CAESAREM gravissimarum rerum administrationem Tuae prudentiae liberaliter commisisse. Nil itaque mirum si doctissimi praesertim viri de maiori Academiae nostrae Pisanae nobiliorumque Facultatum bono invicem gratulentur: Ipsi enim non modo sincerum in Te iustitiae amorem, modestiam, pietatem, honestatemque semper experti sunt, sed etiam humanitatem

tatem cum clementia coniunctam , & magna in promovendo Scientiarum incremento solertiam libenter suspiciunt ac venerantur . Quamobrem Tibi potissimum offero Animadversiones has meas , eo quod certe confidam tanto suffultas patrocinio non parum splendoris , & ornamenti consecuturas . Dum igitur huiusmodi observantiae meae Tibi praebeo argumentum , Te obsecro obtestorque VIR INLVSTRISSIME ut pro ea , qua polles benignitate , me aequi bonique facias , atque praeclaras animi Tui dotes sincero prorsus obsequio recolentem assiduo semper amore complectaris .

DABAM PISIS PRID. NON. MARTI MDCCCLXI.

DARWIN PIZZA PARLOR, MARTI MEDICAL

# TYPOGRAPHUS LIBURNENSIS.

LECTORI S.

**E**T si ea facile omnibus innotescere possint,  
L. B. quaecumque in altera huius libri  
editione curaverit Auctor, quotiescumque  
cum iis, quae in priori reperiuntur, conferri  
velint; nonnulla tamen breviter innuere arbi-  
tror necessarium, non modo ut huiuscmodi tae-  
dium imminuatur legentibus, sed ut etiam o-  
ffendam quanta usus fuerit Auctor ipse dili-  
gentia, quantumque laboris in nova rerum di-  
spositione substulerit. Sciendum profecto est al-  
teram hanc editionem nonnullas continere obser-  
vationes in prima editione Florentina anni 1756.  
praetermissas, quae partim ab Auctore, par-  
tim a viris solertissimis, praesertim exteris,  
sunt institutae, quaeque Aneurysmaticas re-  
spiciunt praecordiorum aegritudines, earum-  
que causas veramque indolem non parum col-  
lustrant. Ad aliqua vero addenda, aliqua de-  
trahenda, & aliqua etiam clarius illuſtranda,  
& uberior exponenda rerum agendarum  
necessitas & lucidus ordo compulerunt Aucto-  
rem, qui novis quibusdam fretus observatio-  
nibus novum quodammodo adſpectum propriis

—34.89  
†

con-

conciliavit experimentis. Quamobrem liber in tres partes distributus habebitur, additamen-  
tis locupletatus, variisque destitutus mendis, quae Florentini Typographi effugerant diligen-  
tiam. Singulis quoque paragraphis tum pfa-  
fationis, tum quarumcumque libri partium ad-  
dere titulos utile visum est, rerumque index  
adiicetur iisdem respondens paragraphis, &  
aliqua etiam apparebunt diversa planè ratio-  
ne disposita, quae mutationem aliquam exige-  
re videbantur. Haec autem sunt quae Medi-  
cinae cultoribus offeruntur, quaeque legenti-  
bus esse iterum exhibenda putavi, ne ea dif-  
ficile perquirantur, quae aliquam Medicis &  
aegrotantibus afferre possunt utilitatem. Tu in-  
terim his omnibus fruaris velim L. B. ut me  
ad alia eiusdem Auctoris tibi offerenda para-  
tum non modo promptiore reddas, sed faci-  
liorem. Vale.

PRAE-

# PRAEFAATIO PRIORIS EDITIONIS.

---

## §. I.

### *Medicinae origo.*



Oelestem illam, ac penè di-  
vinam Salutaris Artis origi-  
nem, quae nonnisi perspectis  
aegritudinibus inspirata hu-  
mano generi statim affulse-  
rat, tametū diu multumque  
imperitorum fraudibus cir-  
cumseptam, eamdemque mythologicis obum-  
bratam superstitutionibus veteri commento latuif-  
se compertum sit, tum praecipue veluti divi-  
nitus communi societatis bono concessam ap-  
paret enituisse mortalibus, quando inclinantibus  
Empyricorum fortunis ad Rationales  
phoenomenorum observatores sedulo confide-  
randa Medicina migravit, maioremque apud  
illos perfectionem Philosophicis condecorata

† 2

or-

ornamentis est assequuta. Tunc itaque probè cognitum , inter ea , quae non modo proficia , sed universis necessaria constituuntur , perfectam potiori iure valetudinem esse computandam , sine qua nulla societati hominum accedit felicitas , nulla quies , ac nulla tranquillitas , cum eiusdem maximè auxilio naturales , animales , atque vitales ita dirigantur actiones , ut quibuscumque rebus adversis haudquaquam supervenientibus , constanter , & opportunè perfici queant , quin aliquod exinde opponatur impedimentum , dum corpus ad earumdem peragenda munia ritè disponitur .

## §. II.

### *Remediorum vetustas.*

Quum autem dignoscendarum aegritudinum Rationali Medico munus incumbat , ut adiutricem exinde manum porrigat aegrotantibus , nemo non videt , quam infelix dicenda illorum conditio esset , qui Medicina adhuc adolescentे sese nudis Empyricis tradidissent . Longè tamen infaustam praedicaverim , si eminus attendatur calamitatum vetustas , quae ini-

tio terrarum orbis caput extulit, & ad perniciem hominum inventa est. Ac profecto dum hanc saepenumero tecum ipse tacitus cogitarem, miserrimam reipsa putandam esse censem, quotiescumque memorandum praesertim expenderetur momentum, quo humanae naturae imbecillitas eo deducta est, ut Divinum imperium primus hominum parens incaute detrectaverit, ac immensum proinde aegritudinum agmen, natisque dolentibus necem ipsam intulerit. En igitur deperdita quies animi, labefactata corpora, omnesque repente superstructae calamitates, quas ad nos usque traductas veteri patimur infortunio, sive metuimus imminentes. At iure quidem ac merito lamentari quilibet videretur, etsi de iis duntaxat cogitaret aegritudinibus, quae postquam omne medicaminum auxilium prius eluerint, dum corpus assidue perturbare conantur, permulta eidem adhuc languenti minitantur infortunia, usque dum humanitatis debitum interveniente morte persolverit. Sed cum vel ab iis unusquisque abhorreat, quae sive ab exantlatis pro societatis, & humanae vitae regimine laboribus, sive a tot tantisque adversis rebus proficiscuntur, atque huiuscemo-

modi molestia extiterit admodum perversta, quae si somniatam Praeadamitarum hypothesim liceret amplecti, antiquior Adamo ipso censeri forsitan posset, hinc post illata infotunia perspecta illico remedia sunt, quorum ope infestissimi quique morbi arceantur, a quibus corpora hominum depascuntur. Sive igitur revelata primo Parenti Medicina consideretur, quae triplici animalium, plantarum, ac mineralium regno innitebatur, sive acquisita, quae indigentiae, atque industriae opus censenda est, variisque in praesens, ac multiplicibus ornatur inventis, nemio inficias ibit, Salutarem Artem, quae in depellendis humani corporis morbis versatur, praestantissimam extitisse, ac veluti ex hominum indigentia, atque ex assidua cuiuscumque temporis Medicinae cultura consequitur, omnibus cuiuscumque indolis necessariam.

### §. III.

#### *Medicinae propagatio.*

Neque aliter cogitandum appetet, si Medicinae progressus expendi velint, quoties inter-

val-

vallum a Mundi exortu usque ad Aegyptiorum imperium attente investigetur, quo quidem tempore, etsi per pauci, neque graves sive ex aere, sive inopportuna vitae transigendae ratione, sive corruptis moribus morbos grassarentur affectus, illis tamen, qui vel ex necessariis peregrinationibus, haudquaquam interrupta arorum cultura, inopinata animantium noxa, assiduisque laboribus insurrexisse, homines rudi licet medicamine medebantur. Quum vero Medicinae incrementum alio delatum ex Assyriis, Babyloniis, atque Chaldaeis, apud quos valde viguerat, ad Aegyptios migrasset, qui vetustissima Medicinae semina detinuerant (*a*), ad ducta tunc morborum caterva sedulam extorquere opem visa est, unde Diaetetica; atque Chirurgica, quantumvis fortuita, & Empyrica, quae dominari cooperat Medicina, Iside, Osiride, aliisque medentibus sub prioribus Ptolemaeis, & Cleopatra Ptolemaei Aegyptii Regis filia, & cum alio eiusdem nominis Cypri Rege coniuncta (*b*), quam Medicina peritam iactant Historici, auspice Philoxeno latius extendere fines suos incepit,

mul-

(*a*) *Vid.* Calm. Differ. de Veter. Iudeor. Medicin.

(*b*) *Vid.* Vaillant Histor. Ptolemaeor. & Vesling. Opopals. Vindic.

multisque adinventis medicaminibus adauēta est (a), donec a sapientissimis, felicissimisque Graecorum gentibus exulta fuerit, quos multo feliores dixerim, ni post captam a saracenis Alexandriam combustam doluissent ab Arabibus Bibliothaecam. Tunc etenim literas, scientiasque praecipuas Persis familiares accepimus excidisse, veluti infasto contigit Italiae eventu, quando ipsam a Gothica barbarie legimus occupatam.

#### §. IV.


#### *Graecorum sapientia.*

Graeci tamen cum Medicinam praeferunt ad Numinis sibi ipsis peculiaria referrent, Apollini, & Aesculapio quam plurima construxere delubra, multosque Ethnica superstitione in Deorum numero retulere, eorumque placitis, non secus ac Getarum, Tibiorum, Phrygum, & Thracum ritibus, libenter obtemperarunt, tuncque Clinica, Veterinaria, atque **Gymnastica inclarescente Medicina Pythagoras,**

Ap-

(a) *Vid. OMHP. Οδυσσ. βιβλ. 8.*

Apsirtes, Theomnestus, Pelagonius, Pranagoras Nearchi filius, Heliodorus (*a*) aliique Physico-Medici insurrexerunt, quos inter Heraclitus, & Democritus recensentur, qui saluberrima Medicinae praecepta, ut ad seros exinde nepotes clariora luculenter trasmitterent, prudenter excoluerunt, horumque postremus permulta ab Aegyptiis, Gymnosophistis, & Magis didicerat; ut firmiora Salutaris Artis dogmata constitueret, etsi Heron Agrigentinus Poetica imagine leges Empyricas, atque fatidicas Egynœ, Euryphonti, & Apollonidi aliisque Medicis reddidisset. Insanum quidem progressu temporis abiicere Greci meditati sunt Aegyptiorum decretum, quo Adrastantia veluti lege prohibebatur, ne quis praeter normam a veteribus traditam morborum curationes agrederetur, pariterque Aesculapii simulacro nondum baculum, atque draconem apposuere, sapientiam, prudentiamque Medico necessaria in non obscuro aenigmate depingentes (*b*). Et quemadmodum Heliopolim, quae antiquitus summoperè claruit, extollebant aegyptii, atque



nunc

(*a*) *De ipso alibi loquutus sum.* Vid. Dissert. Epist. ad Ios. Franc. Peon. in qua de Heliod. Lariss. diss. & nonn. circ. al eiusd. nomin. expon. & inlustr. pag. 45. §. 4.

(*b*) Vid. Hundermark De increm. art. Med.

nunc Turcicæ religionis solitarius, abditusque recessus est quod olim Philosophiae veluti theatum Platoneum, Homerum, Solonem, aliquo-  
sque plurimum fuisse veneratos comperimus, cum priora ibidem doctrinae lumina suffuraverint; ita celeberrima floruerunt apud Graecos athenaea, Crotoniense praecepue, Rhodium, Cnidium, Atheniense, Coum, atque Smyrnaeum (*a*), quorum primum legimus illustratum a Democede, quem Darius Persarum Rex multis honoribus insignivit, postremum vero fama Medicorum, in quorum honorem num-  
mi fuere percussi (*b*), summoperè celebratum. Quum vero annuente fortuna mortalibus ve-  
nerandus affulisset Cous Hippocrates, hic sub-  
dolas Medicinae leges despiciens Dogmaticam,  
sive Clinico Rationalem invexit (*c*) ex qua Diaetetica, Pharmaceutica, atque Methodica,  
Asclepiade, Galeno, Themisone, multisque clarescentibus Medicis profluxerunt.

## §. V.

(a) Vid. Dan. le Clerc. Histoire de la Medecine l. x. chap. 17.

(b) Vid. Ricard. Mead. Dissert. de num. a Smirn. in Medic. honor. percus.

(c) Rationis subficio fuisse illustratam alibi demonstravi.  
Vid. Orat. De Rat. Phil. eiusq. praefl. pag. 17.

## §. V.

*Romanorum sectae.*

Hinc exulta sunt penes Romanos Medicinae dogmata è Graecia ipsa delata , cum universa methodus , quae apud Graecam Medentium Rempublicam perierat , apud Romanos cum Imperii magnitudine feliciter adoleverit , ac fuerit ab Arcagatho , cui è Peloponneso Romam adventanti traditum lus Quiritium , & tabernam in Acilio accepimus elagitam , ipsis communicata (a) , eamque M. Cato , Antonius Musa , Celsus , & alii supra caeteros coluerunt , quos inter Vectius Valens recensetur , qui nobilitatis ex adulterio Messalinae quoddam assequutus fuerat ornamentum . En interim cum apud Graecos Episyntheticae , Pneumaticae , & Eclecticae sectae Leonidas , Archigenes , atque Athenaeus viri caeteroquin clarissimi sectatorum characterem induerint , plures eorumdem obscurare famam apud Romanos sibi suaferant , qui de quaestu summo perè cogitantes veluti divites duntaxat agnoscabantur , ut de Albutio , Cassio , Rubrio , a-

† † 2      liif-

(a) Vid. Plin. Nat. Hist. l. XXIX. cap. 1.

liisque narrant Historici Medicinam Romae tum temporis exercentibus. Sed ipsorum exemplo Persarum legibus a Maomethe Pseudo-Propheta sanctis perspectum est illius aevi Medicos paruisse, cum apprimè necessariam putaverint Medicinam: Patet enim, Cmannum Maomethi haeredem plures Medicos codices in usum Bagdaditarum, sive ut aliis lubet, Babyloniorum post Imperii Persici invasionem liberaliter contulisse.

### §. VI.

#### *Scientia Arabum.*

Arabum interim dogmata communia cum Caliphis incooperunt, atque a celeberrimis vi-  
ris, inter quos supra caeteros Honasmus, O-  
saiba, Alchindus, atque alii recensentur, in  
Asia praesertim, Africa, & in aliqua Euro-  
pae plaga diligenter exculta sunt, varique in  
Arabicum idioma ipsis vernaculum iubente  
Almamone Abassidarum, & Bagdadensium Ca-  
lipha translati codices non solum a Nobuishiō  
Ethnico, sed a Georgio Bachtishua Indorum  
Medico, nec non Honaino Arabico, illiusque  
filio,

filio, qui Religionem Christianam profitebantur. At vero quae non modo ex Assyria, Mesopotamia, Phoenicia, Lybia, Crotone, & Cyrene, sed Gnido, Rhodo, aliisque delata regionibus per totum Orientem usque ad Syneonium Imperium viguerat Medicina (a), & quae inclinatis Romanorum rebus, Graecis, ac Romanis adempta, & ad Arabes (b), & Mauritanos traducta fuerat, postliminio Graecorum ita informis in Latium rediit, ut vix a suis agnosceretur, atque iterum a Romanis excepta cum adeo eamdem excolerent, ut peculiarem praeserret nobilitatem, maiestatemque ; hinc summos honores Vespasianus, Hadrianus, & Antoninus Pius esse Medicis tribuendos sancitis exinde legibus decreverunt, ipsorumque exemplo Julianus munificentiae ar-

(a) Hanc ab Esseniis fuisse deductam probabili assequimur coniectura : Eos autem animi aegritudines, non vero corporis sanasse veterum nonnulli opinati sunt ; sed rem diligentissime illustravit Carpzovius *Adn. ad Goodwinum l. I. c. 12. §. 1. p. 117.*

(b) Inter hos eminent Avicenna, quem multarum rerum haud expertem fuisse omnes testantur, & plus commendant quam Averroem, Mesuem, Avenzoarem, Almanzorem, Serapionem, aliosque Medicos Arabes praestantissimos, licet Muhammedicae superstitionis tenacissimum vocet Seldenus *De Iur. Natur. & gent. sec. discipl. Hebreor. l. VII. cap. 1. pag. 829.*

gumenta non absquè honorifico Salutaris Artis testimonio impertitus est Medicis præstantissima , atque inter sapientissimos recensendus ille esset Imperatores , nisi barbaro , & hostili adversus Christianos odio saevire perperam decrevisset .

### §. VII.

#### *Medicina apud Europeos .*

Propagata igitur per Latium Medicina cum in universam migrasset Europam , ibi paulatim imperium , propriamque sedem summa cum gloria constituit , virosque celeberrimos non amplius in fabularum tenebris trepidantes patronos habuit , atque ministros . Habuit præ caeteris Martianum , & Mercurialem Italia ; Fernelium , & Duretum Gallia ; Anglia Sydenhaamium , Freindium , atque Meadium ; Vallesium , & Mercatum Hyspania ; Germania Schenkiuin , Forestum , atque Platerum ; Boerhaavium Batavia ; Dania Bartholinos ; Bahuios Helvetia , aliosque caeterae nationes habuere doctissimos viros , quibus acceptum Medicina refert peculiare decus , & ornamenti um .

tum. Huiuscemodi profecto Medicinae praestantiam longe lateque diffusam , atque a celeberrimis viris uberiorem redditam nonnisi ex Orientalis sapientiae fonte manasse fatendum est, quoties Philologia universa spectari velit apud nationes illas exculta, atque haereditario veluti traduce propagata: Novimus etenim , in ipso Asiae vestibulo literas, scientiasque omnes apud Iudeos in urbe Dabit (*a*) longo tempore floruisse , non secus ac Phoeniciae populos in promovenda Scientiarum cultura compерimus insudasse, proindeque Indorum Brahmanes insurrexisse, qui supra caeteros ubiorem doctrinae famam complexi sunt. Et quemadmodum apud veteres ipsos semper fuit in more positum, ut non modo praestantissimos viros venerarentur , & intra Deos referrent, qui sive magnanimitatis, sive prudentiae, sive aliarum animi dotum notas quaslibet ostendissent, sed vel eos celebrarent, qui iacentes literas excitarunt, ut Philadelphum Aegyptii, Attalum Pergameni, Mecaenatem Romani, ita & inter Medicos celeberrimos , de quibus glorietabatur antiquitas , Salomon Hebraeorum , Hermes Trismegistus Aegyptiorum , Saniel , & E-

(a) Vocatur in saeculis Litoris civitas literarum . VId. Iosue Cap. xj. v. xj. & Iudic. cap. I. v. II.

& Evax Arabum , Gyges , & Saborus Medorum Reges, Mesue Regis Damasci nepos, aliique summas laudes adepti sunt . Si igitur Salutaris Artis cultura magno semper in pretio habita est , adeo ut ubicumque virti floruerint praestantissimi , fatendum sanè est , necessariam , utilemque illius cognitionem non modo ex hominum indigentia , sed ex assidua apud quascumque nationes eiusdem addiscendae cupiditate deduci posse , ex qua Artis iubar insurgit , eiusdemque nobilitas enitescit .


### §. VIII.

#### *Medicina Etruscorum .*

Verumtamen & Etruria nostra praeter alias Europæ , & Italiae partes non modo tot tantosque , qui Literas , Scientiasque auxerunt novis inventis , & Philosophiam præcipuè antiquitus coluerunt (a) , summoperè veneratur , nec non labentibus exinde temporibus Vespuccium , Galileum , aliosque laudibus evehit quam

(a) Vid. ΔΙΟΔΩΡ. ΣΙΚ. βιβλ. 2 , & Bruker Hist. Philosoph. Tom. I. l. 2. cap. 10.

plurimos, sed etiam praestantissimos in Medicina commendat viros, quos inter Caesalpinus, Redius, atque Bellinius videntur prece caeteris iure quidem, ac merito computandi. Universa praeter ipsam Italiam qua late patet Europa non solum viros habuit celeberrimos, sed plurimos nunc quoque habet, quibus Salutaris Ars multum debet. Huiuscemodi Medicinae cultoribus tot inventa debentur, tot comoda, quae sunt progressu temporibus adinventa, adeo ut quicumque amoenissimos lustrare Medicinae campos in votis habet, ut selectiora quaeque colligat, uberrimam saepenumero messem observationum citra expectationem agnoscat se reperisse, ut nihil amplius optari posse plane sentiat, & ingenuè fateatur. Nequè alienam a veritate protulisse sententiam dicendus ille esset, quoties sola cadaverum extispicia considerentur, quae maximani titubanti Medicorum animo quietem largiuntur, ut exinde quidquid confusè edoctum, perceptumque fuerit, tutius observatorum oculis innotescat. Antiquariis equidem feliciorem Medicum praedicaverim, qui non rariora Imperatorum, Regumque cimelia invisere diuturna suscepta peregrinatione compellitur, ut admiranda naturae arcana, atque artis portenta



con-

contempletur: Valetudinaria enim ubicumque posita sunt, quae ab inducta a Romanis servitute sunt adumbrata (*a*) atque octingentis iam elapsis annis latius ad communem hominum utilitatem propagata, ubi penes arbitrium est quascumque animadvertere, maiorisque momenti aegritudines, nec non mortuorum corpora Anatomico cultro subiicere, atque ex assidua, & vigilanti eorumdem contemplatione quodcumque rarum, ac peregrinum obvenerit adnotare. Haec autem dum mecum ipse vel statim ac Medicinae tyrocinia susceperim, animo volutarem, Etruscorum felicitatem magni faciendam censebam, cum apud ipsos supra caetera, in quibus CAESARIS elucet munificentia, atque Etruriae Praesidum vigilantia, permulta valetudini servanda apprimè necessaria constituantur (*b*). Quum vero huiuscmodi abuti nefas esset emolumentis, hinc vel dum Praxeos limen attingere aggressus sum, rariores naturae lusus peculiari genio sum contemplatus, ut quidquid exinde frequentius accideret, sedulo meditarer: Videbam etenim, quod

(*a*) Vid. Zorn. Opusc. Sacr. Tom. I. pag. 335. Sculz. Dissert. De Serv. Medic. Midlet. De Medic. Veter. Cond. & Brunnings Antiq. Graec. cap. 30. §. 3.

(*b*) Inter haec Pisana recensentur balnea, de quibus accusatissime differuit Cocchius. Vid. De' Bagni di Pisa.

quod si quid est in me literarum, si quod veritatis studium, Etruria mihi elargita est, quae propria commoda omnibus aequè affluenter, ac liberaliter impertitur, pariterque noscebam, disci plurimum posse iam aliqua extante discendi cupiditate, ceu Demonico suo inculcare saepè saepius Isocrates (*a*) consueverat. Hisce itaque permotus rationibus necesse mihi esse arbitrabar praenoscere mihi largitas proficiendi occasiones, nobilissimumque Medicinae studium, de quo suminopè glorior, attentè persequi, ut probè cognoscens

*Nec sibi, sed toti genitum se credere mundo (*b*)  
hominum valetudini tutius invigilarem.*

### §. IX.

#### *Occasio scribendi.*

Haec dum olim Florentiae peragerem mirabar protecto, multiplices in praecordiis, ubi Veitatis ignis nativos lares, & focum habet,

\*††† 2

(*a*) Πρὸς Δημόσιον λόγον.

(*b*) Vid. Lucan. Phars. lib. 2. vers. 383. & Cicer. Offic. lib. 2.

bet, aegritudines suboriri, quae nullam prope-  
modum curationem admittere videbantur. Sed  
multo magis mirabar cum paucos perlegerem  
clarissimorum virorum libros, qui de praecor-  
diorum morbis ad Aneurysmatum praecipue  
classem referendis fusius agerent. Videmus e-  
tenim quandoquè, & non absque stupore vide-  
mus, cor ipsum admodum dilatatum, illiu-  
sque cavitates crebro protensas; attamen hu-  
iuscemodi morbum haud accuratè descriptum  
reperiri non ipse duntaxat fatebor, cum cla-  
rissimus Imperialis Archiater Gerardus Baro  
Van-svietenius praecipuum huius seculi de-  
cūs, & ornamentum id ipsum animadverterit  
ubi de vulneribus sermonem instituit dum ce-  
leberrimi Praeceptoris Aphorismos pro more  
suo mirum in modum enuclearet. Atque ego  
ipse, si Lancisium, paucosque alios excepe-  
ris, parum, aut nihil de praecordiorum Aneu-  
rysmate videbam scriptores fuisse loquutos, ac  
si aliquas adinvenissem relatas observationes,  
mere practicas esse dolebam, nec non huc il-  
lucque adeo per libros disperfas, ut non nisi  
magni laboris esset utiliora quaeque colligere,  
atque colligendo disponere. Ecquis igitur ad  
congregendum cum hoste vaferimo incitabi-  
tur, nisi prius eiusdem vires, strenuamque

na.

naturam apertè cognoverit, abditosque recessus ignorare se fateatur? Optandum sanè, ut praecipuae colligerentur in posterum observationes praecordiorum Aneurysmata respicientes: Tunc enim aetas nostra praestantium ingeniorum ferax, qua

. . . . . tenet insanabile multos  
Scribendi cacoethes, . . . . . (a)

sedulam Aneurysmatum id temporis semper ingrauescentium descriptionem suppeditabit, proindeque nisi hostilem debellare morbi naturam, illius saltem vires recundere pernolentum non erit, & difficillimum. Ego equidem quibusdam a me institutis observationibus alienas addere, easque praecipue, quae raritatis charactere donari videntur, minimè recusavi, veluti videmus Bartholinum (b), Van-Hornium (c), & novissimè Heisterum (d) supra caeteros peregrisse, ut certis quodammodo firmatis principiis aliqua non inutilia propone-rentur, quorum ordinem cursim raptimque

(a) *Vid.* Juvenal. Satyr. VII. vers. 51.

(b) Anat. Aneurysm. dissect. hist.

(c) Epist. de Aneurysm. supradicti superpositi. (a)

(d) *Vid.* Annal. Academ. Iuliae Sem. XII, pag. 81, sq. XIV

arbitror exponendum, cum illud, quod semper fuit apud eos in more positum, qui in lucem essent librum aliquem prolaturi, ut nempe nonnulla praefari decernerent, id sane unum respicere videatur, ut lectores nimirum de operis utilitate certiores facerent, atque ordinem, rerumque synopstum exponerent.

### §. X.

#### *Operis distributio.*

Aneurysmatum itaque praecordia torqueantium cognitionem haud exoletam a Galeni temporibus, tametsi Graecis omnibus, Arabesque Scriptoribus huiuscmodi morbos innotuisse nonnulli sentiant (*a*), repetendam tutius esse decernitur, proindeque clarior eorumdem idea praemittitur, ex qua variantes emergunt species aegritudinis, quae plus minusve pro variis causis gravem induere naturam videntur. Hinc nil repugnare arbitror, quominus praeternaturalis cordis amplitudo ad talium affectuum classem reducatur, cum ex amplitudi-

(*a*) Viz. Plaque Bibliothèque Choise de Medecine Tom. VI. pag. r.

dine vasorum idem ambientium possit quam  
saepissimè proficiisci. Nonnulla interim circa po-  
lypos offeruntur proponenda, quae ad morbos,  
de quibus praecipue sermo instituitur, inferen-  
dos haud leviter apta sunt. Porro quomodo  
efformentur Aneurysmata exponitur, ut varian-  
tes effectus facile quidem ad proprias, et si non  
semper easdem causas, referri queant. Quum  
autem teneriorem infantum aetatem multis,  
iisque gravissimis succumbere morbis perspe-  
ctum sit, id unum vel maximè inquiritur, u-  
trum Aneurysmaticis praecordiorum vitiis ob-  
noxia sit, quod ego pro certo habendum esse  
reor, quoties errata ipsis communia expen-  
dantur diligentissimè. Nequè aliter autuman-  
dum de adultis fateor, qui non modo diver-  
sas aeris, & anni temporum vicissitudines ex-  
periuntur, ex quibus non leve damnum exur-  
git, sed locorum delectum despicientes gra-  
vissimos sibi morbos accersunt, qui praecor-  
dia vehementer adoriuntur. Quod si errores  
in sex non naturalibus rebus attentè conside-  
rentur, haudquaquam remotas Aneurysmatum  
excogitari causas fit manifestum: Hinc etenim  
inopportunae corporis exercitationes ex Grae-  
corum, & Romanorum temporibus propaga-  
tae, hinc peculiares morbosi foeminarum affe-  
ctus.

Etus ad aeternam sequioris sexus formidinem constituti, hinc Lues Aphrodisiaca ad humani generis perniciem subcrescens, hinc denique eduliorum abusus ideo vetustissimos, ut Medorum Abyrtaces ab Athenaeo (*a*), & Plutarcho (*b*) relatos antecellere videatur, argumenta non inutilia *Aneurysmatum explicacioni* suppeditant.

### §. XI.

#### *Aneurysmatum cognitio.*

Optandum mehercule, ut quaedam tuitior, & accuratior diagnosis proponeretur, ex qua aegritudinis exitus dignosci valeret, veluti in quibusdam pluries animadversis morbis usuvenit, qui facile quidem a Medicis sapientioribus dignoscuntur. Iam ex observatis id unum vel maximè elucet, permulta *Aneurysmatum*, & polyporum innascentium latuisse veteribus argumenta, nequè facile nimis esse, ex constitutis quibusdam signis statim agnoscere, utrum *Aneurysma*, sive *polypus praecordia-*

(*a*) Βίβλ. γ...

(*b*) Συμποσ. δ...

adoriatur, cum affectiones utrasque communia quaedam syntomata comitentur. Clarissimi tamen non defuere viri, qui ex assidua huiuscemodi morborum cognitione notabiliores quosdam respexere characteres, ex quibus vel Aneurysma, vel polypus deduci posset, et si fidenter nimium asseverare quispiam quandoque malit, unum, aut alterum vitium in praecordiis delitescere. Non pauca profecto praestos essent exempla, ex quibus apertè concluditur, celeberrimos quosdam viros adeo tuta collegisse signa, ut morbum, qui diu latuerat, eiusdemque gradus fuerint illico divinati. Dotissimus sit instar omnium Alexander Knips Macoppe primarius in Athenaeo Patavino Prae-  
xeos Medicæ Professor, qui cum anno 1695 ad invisendum Carolum Patinum in eodem Athenaeo Medicinae Professorem clarissimum vocatus esset, extare polypum in aorta nulla interiecta mora Medicis adstantibus pronunciavit, quos tanti viri oraculum irridentes aegrotantis interitus rubore complevit, eo quod secto cadavere polypus in aorta locatus deprehensus fuisset, qui sedulo animadversus epistola summo plausu exceptae, atque è Germania iam aegrotanti transmissae, Medicosque conticescentes reddentis occasionem illustrandæ

††††

præ-

praebuerat opportunam: Qualiacumque enim ab aliis Medicis pronunciata comperimus in irritum cecidisse visa sunt, cum modo pectoris Hydrope, modo Asthma humorosum, aut siccum, aut convulsivum, modo pulmonis vomicam, modo arterias crassis redundantes humoribus, modo alia diversae indolis in media extitisse cavitate corporis credidissent. Nequè rara admodum sese offerunt Anatomorum inventa, quae de nonnullis absolute cognoscendis eventibus quoscumque certiores faciunt, quibus naturalia arridere phoenomena consueverunt. At cum non tam facilè variantes praenoscere constitutiones corporis concedatur, hinc haud variabiles statui canones nequeunt, quibus firmiter constitutis sedula prognosis emergat, & accurata.

### §. XII.

#### *Exitus prudenter investigandus.*

Quae tamen vel ad diagnosis firmandas decernendam ve prognosim conspirare tutius consueverint adducere optimum duxeram; sed prudentis est utiliora quaeque colligere, ne error

ror aliquis in pronunciandis quibuscumque propositionibus aegro perniciosis insurgat. Adducetis autem nisi aliquis absolutè mederi queat aegritudinibus, auxilia quaedam proponenda censeo, quae, et si quandoque non prosint, obesse tamen nequeunt aegrotantibus, si adhibita fuerint opportune; Medicus enim semper laude dignus censetur, quotiescumque in morbo, qui suapte natura agnoscitur insanabilis, adeo eiusdem symptomata compescendo lenire valeat, ut nisi salus sit attendenda, diuturniore saltem lucis usuram aegrotanti polliceatur. Huiuscmodi vero haec, ne obruerer copia rerum, ideo elucubrare meditabar, non ut absolutam, riteque dispositam tractationem proponerem, sed ut animadversiones quasdam a me institutas, atque ex generalioribus deductas principiis, veluti efflagitantibus sponderam, evulgarem, quae nisi Medicorum expectationi responderint, alios fortassis ad inquirenda veriora excitabunt, ac si nil ex iis, quae a me fuisse proposita, legentibus arrideat, ea procul dubio arridere considerem, quae ex aliena praestantissimorum virorum sententia lectorum oculis subiiciuntur. Haesitabam profecto, utrum has qualescumque observationes publici iuris facerem, cum probè cognoscerem, quodcu-

††† 2

que

que evulgatur universi Orbis hominibus exhiberi: Metuebam enim, ne ingenium meum, quod sentio quam sit exiguum, in re tanti momenti humilia nimis proferret, quin in scientia, & iudicio Physico-Medicorum secundum acquiesceret. Verum cum attentè considerarem, quibuscumque in libris, qui evulgantur, semper aliquid reperiri, quod prodesse Societati hominum possit, hinc me haerentem dubio quoddam impulit genium communis aegrotantium emolumenti, ut quidquid nimirum de Aneurysmate praecordiorum, eiusque peculiaribus causis sentirem fidelibus Medicorum oculis subiicerem, planè confidens, eos quaecumque in praesens proponam, benignè laturos, quae fortassis meliora erunt cum maiorem observationum numerum comparavero. His, aliisque fretus rationibus opus exegeram, quod nisi placuerit perpolita duntaxat, & diligenter elaborata probantibus, ab iis saltem non contemnetur, qui cum pietate, suavissimisque moribus non destituantur, etiam mediocria non despiciunt, eo quod operosum esse agnoscant quod evulgatur. Atque, ut ingenuè fatear, non ea omnia, quae vel a doctissimis viris fuere conscripta, semper veri speciem praeferunt, non observationes omnes accu-

ratè institutas esse fatendum est, adeo ut praeter ea, quae a quolibet de proprio penu congeruntur, ea etiam, quae iam palam fiunt, sint expendenda, atque observationes iterum peragendae, ut si quid temerè, & inconsulto perceptum fuerit corrigatur: Medici namque munus est, ex univerſa observationum melle manipulos quasi colligere, & deleterias a genuinis ſeiungere. Id autem non absquè labore ſummo obtineri poſſe dicendum eſt, ſi de iis praecipue ſit cogitandum, qui arduum Medicinae ſtudium inſtituentes indubias, ac prudenter tiffimas ſapientum ſententias ſummo labore aſſequuntur, dum imitari poſſe confidunt: Quemadmodum enim nemini conſellum eſt, niſi illiſ, qui pares Apelli, Phidia eque fuerint, imitari Coae Veneris pulchritudinem, atque lovis Olympici maiestatem, ita praefantimorum virorum oracula nemo, niſi qui eorumdem ſapientiam fuerit aſſequutus, exprimere graphice poſſe arbitrabitur. Quamobrem cum innata ſit omnibus discendi cupido, atque innata pariter ſint ingenii nostris virtutum ſemina (a), omnesque optimarum artium capiantur pulchritudine, & apertè intelligent, quod nemini

ad

(a) Vid. Cic. Tuscul. lib. 3. cap. 1.

ad laudem properanti arridere mediocritas debet, nil mirum, si plerique non nimis angustos ingenio terminos circumscribant, nequè nimis vulgarem sibi proponant finem laborum, sed meditentur altiora, nihilque nisi excellens, aut arduum concupiscant. Haec tamen in addiscendis praesertim Salutaris Artis praeceptis, abditisque contemplandis naturae arcanis, occultisque miraculis mirificè patefiunt, eo quod

*Res, aetas, usus semper aliquid apportet novi,  
Aliquid moneat. . . . . (a)*

mortalibus incompertum.

### §. XIII.

#### *Cadaverum dissectio necessaria.*

Non me fugit, permulta esse Medicinae praesertim tyronibus necessaria, atque ex adverso quae, quantaque illi etiam, qui optimam praxim arripiunt, assidue profiteri debeant, quibuslibet innotescit. Veruntamen cum ea

(a) *Vid.* Terent. Adelph. Act. 3. sc. 4.

ea inter, quae veluti maximè opportuna con-  
stituuntur, cadaverum sectiones iure optimo  
collocentur, nemo non videt, quam fausta eo-  
rum conditio sit, qui ea frequentare valent  
**Nosocomia**, ubi non modo praesto sunt cor-  
pora mortuorum, quae discentibus frequenter  
incidere monente Celso (*a*) fit necessarium, sed  
sapientissimi extant Medicinae proceres, qui  
ea, quae peculiarem extorquere videntur ob-  
servationem, theatrali veluti pompa ad stan-  
tium subiecta oculis libenter indigitant. Ego  
equidem inter ea, quae ad Etruriae felicitatem  
magis magisque firmandam conspirant, celeber-  
rimum procul dubia ponendum esse Florenti-  
num Valetudinarium censuerim, ubi Praeside  
Nobilissimo Equite Francisco Maggio, votis-  
que publicis olim annuente viro celeberrimo  
**Antonio Cocchi** Rei Medicae, atque Anato-  
micae Moderatore, quem et si è vivis ereptum  
honoris causa, utpote Praeceptorem, memo-  
randi mihi munus incumbit, rapidum Medici-  
nae progressus invidi temporis cursum velocio-  
ri gressu consecutati sunt, & nunc quoque magis  
magisque favente fortuna mortalibus augen-  
tur. Verum enim vero non in Etruria solum-  
modo

(*a*) In Praefat.

modo, sed ubique tum maximè observari coepit Salutaris Artis iubar, & incrementum cum permulta corpora mortuorum Anatomico esse subiicienda cultro decretum fuit, ut intima observari valerent humani corporis penetralia. Et sanè vel priscis viguisse temporibus cadaverum sectiones autumare concessum est, quoties novum morbum ad Ptolemaeorum tempora referendum (*a*) contemblemur, ad cuius instituendam observationem aperta Regum iussa fuisse cadavera exploratum est (*b*) tametsi rariores inter epochas huiuscemodi sit computandus evenitus, licet Phoenicum, atque Aegyptiorum edictus sapientiam Democritus vitam longaevam in aperiendis brutorum corporibus transsegisset. Id autem non sufficere ad veram humani cognitionem corporis assequendam appareat, si Zootomicae duntaxat analogiae innitantur observationes, quas perraro ab Empyricis Traumaticam tantummodo, ac Vulnerarium laudantibus Anatomen perfici posse arbitrarer, quotiescumque de externis repente advenientibus causis sit cogitandum. Attamen quam plurima

(*a*) *Vid. Sculz Hist. Medic. sect. 1. cap. 3. §. 15.*

(*b*) *Neminem antè Herophilum humana dissecuisse cadavera coniicere quispiam potest. Vid. Cocchi dell' Anatom. discors. pag. 48.*

elapsis retro temporibus tumulabantur in hypogaeis veterum corpora, quae si incisionem passa essent diligentissimam, utique cognitiones innumeræ praebuissent: Anatomicæ namquæ sectiones probè institutæ nonnisi utiles esse consueverunt, nisi quidpiam adversum contigerit, & inopinatum, ceu perspectum est, Andreæ Vesalio Bruxellensi viro caeteroquin doctissimo contigisse (a).

## §. XIV.

### *Anatomicorum inventa.*

Iam vesicularem pulmonum structuram, & glandulosam hepatis, splenisque compagem non detexisset Malpighius; genuinam nervorum originem Fracassatus; lymphaticorum vasorum valvulas Sylvius, & Rudbekius; fabricam cordis Lovverus; genitalia mulierum organa Graafius; varium plurimarum glandularum usum Warthonus; ac Steno; musculorum motus, fabricamque Borellus; salivales ductus Glissonius; insensibilem, atque irritabilem quarum-

\* + + + + dam

(a) Vid. Paraeus lib. 23. cap. 46.

dam partium naturam Hallerius ; aliquae alia quam plurima minimè detexissent , nisi cada verum incisiones frequentius Anatomicorum manibus , atque Medentium oculis patuissent . Nequè nova quaedam inventa praetermittenda sunt , quae illas præsertim respiciunt partes in quibus ea locantur Aneurȳmata , circa quae animadversiones nostras proponere in animalium induximus . Proprias itaq; in corde foetus descriptis accurate Galenus anastomoses , venosarumque usum valvularum agnovit ; externas cordis conditiones Vesalius aperuit ; binas arterias , ac venas , transversumque cordis situm Euſtachius detexit ; Arteriosas Arantius valvulas nominavit ; naturalem proposuit Rudius , atque morbosam cordis constitutionem ; lymphatica cordis vasa pinxit Rudbekius ; fibrarum descriptionem tradidit Steno ; musculares observavit fibras Lovverus ; cardiacas vires aestimavit Borellus ; spiralem humano in corde texturam , sanguinisque ex arteriis coronariis ingressum , nec non excretorios liquoris pericardii ductus Vieusſenius agnovit ; papillares musculos plures in dextro , quam sinistro cordis ventriculo deprehendit Bartholinus ; ventriculos , auriculas , arteriosa , & venosa cordis vasa Santorinus dimensus est . Sed longum ni-

mis

mis esset inventa omnia, quae solummodo circa cor a Bellinio, Lancisio, atque aliis doctissimis viris proposita sunt, memorare, quae Aneurysmatum in praecordiis genitorum doctrinam haud parum collustrant. Quum autem & vasa cordi adhaerentia sub praecordiorum nomine contineantur, in his quoquè post frequenter in humanorum cadaverum incisionem permulta, quae iamdudum latuerant, tractu temporis fuerunt ab Anatomicis observata: Hinc etenim accurata aortae figura perperam, a Vesalio descripta correcta est a Casserio, ac principes eiusdem rami a Riolano restituti; hinc illius arcus sedulo a Ridleio depictus, & a Bergero subtiliter observatus, hinc denique innumerata tum a Ruyskio, Covvpero, tum ab Heistero, Morgagno, aliisque viris de Anatomie optimè meritis observata extant, quae non aortam duntaxat, sed omnia quaecumque vasa, quae praecordia constituunt, necessaria legge penitus consequantur. Necessitas igitur secandi cadavera elucet, eamdemque dum Bononiae doceret adeo imprimere auditorum suorum animis clarissimus consueverat Albertinus, ut infinitum propemodum secandorum cadaverum numerum ad celebrem constituendum Salutaris Artis Professorem non modo utilem

\*†††† 2

sae.

saepe saepius esse praedicaverit, sed cunctis Medicinam exercentibus necessarium. Quam itaque olim esse barbaram, atque contrariam Religioni superstitionem priscorum aliqui delirantes sibi suaserant, rem agnoverunt ita proficuam recentiores, ut ex huiuscemodi frequenti usu caput extulerit Chirurgia, quae visa est redolere crudelitatem usque dum incidere mortuorum corpora homines perhorrescerent.

## §. X V.

### *Vetustas studii Chirurgici.*

Iam vetustissimum extitisse Chirurgiae studium compertum est quoties transacta retro saecula collustrentur: Chaldaeи etenim, atque Aegyptii illud vel maxime novis, quantumvis barbaris, institutis locupletarunt, Graeci subtilius excoluerunt, Romani postmodum amplexi sunt, donec undequaque diffusum coeperit accuratius a doctioribus quibusque nationibus usurpari. Graeci tamen principem in instituendo Chirurgiae studio sibi vindicant locum, cum non solum perarduas instiruerint aegritudinum curationes, sed notabiliora quaeque

que è viris sapientissimis excerpta collegerint, quae nostris hisce temporibus summoperè veneramur. Inter praecipuas itaqùè huius generis collectiones pervetusta, eaque commendanda Nicetae collectio est sub Constantino Imperatore, ut videtur, elucubrata, cuius exemplar magni faciendum Imperialis asservat Bibliotheca Florentia in Aedibus D. Laurentii nobilissimè constituta, atque idem inter raros, eosque celeberrimos MSS. codices collocandum summo labore, & industria publici iuris factum maximo Medicinae, & Chirurgiae incremento omnes gloriantur, & gaudent, quibus Populorum, & Scientiarum arridere felicitas consuevit (a). At quando partium stratura, situs & ordo tutius Anatomicis affulserunt, audaciores illico facti sunt, ac difficilissimas instituere minimè recusarunt operationes. Anatomicis igitur disciplinis perfectius adactis allata debentur emolumenta humano generi saluberrima, nequè a Physico-Medicis contemnda, cum iis ex externis quibusdam aegritudinum argumentis affectae intrinsecus par-

(a) Vid. Graec. Chirurg. lib. Soran. un. De fract. sign. Oribas. duo De fract. & luxat. è collect. Nicetae descript. eonvers. atq. edit. ab Ant. Cocchio Anat. Prof. publ. & Ant. Caeſ.

partes sint agnoscendae, ut diagnostico constituto aegrotantium statu vera decernatur prognosia, quae Philosophico intuitu elicienda est, ut Medicus Deo persimilis, monente Hippocrate (*a*), constituatur. Quum autem illae quoquè observandae sedulo sint aegritudines, quae vix medelam admittunt, cum intima penetralia humani corporis adoriantur, & quae inter arduas recensentur, nemo non videt, quantum in sectionibus cadaverum insudandum sit, ut quae a clarissimis viris pronunciata fuere lympho veluti lapide subjiciantur. Huius profecto generis esse praecordiorum Aneurysmata denegat nemo, omnesque fatentur, qui humani structuram corporis probè callent. Id ipsum itaque cum ego animadverterem, has qualescumque animadversiones breviter concinnatas tradere legentibus constitueram, easdemque ingenuè quidem tum ex spectatissimis, & fide dignis scriptoribus, tum ex Anatomicis observatis, tum deniquè ex propriis quibusdam conjecturis, atque rationibus ultro deduxeram. Monitos quidem letores velim, me fortassis a natura rerum agendarum compulsum (quod Scriptoris vitio aliquid conscribentis vertendum

non

(*a*) Περὶ οὐσιημοσύνης.

non videtur ) exiguum observationum numerum protulisse; quod licet invitus peregerim, meo tamen muneri forsitan video parum accuratè satisfecisse, quoties incomptam eruditionis supelle<sup>et</sup>ilem, atque altiorem aliquando dicendi rationem a Scientiis alienam in hisce exarandis animadversionibus adhibuerim. Sed si aetatis fervori, atque occasione aliquid concedatur, praesto erunt excusationes, ex quibus rei veritas enitescet. Quod si in re adhuc obscura quidpiam prolatum parum attentè persistiterit, aequi bonique monitos faciam quo scumque assentatorum nota destitutos invenero mihi res haud diligenter prolatas indigitantes. Atque utinam benè sentiant de laboribus meis optimi rerum aestimatores; spero equidem, si faxit Deus, alia Medicinae cultoribus me progressu temporis oblaturum.

ΤΗΝ ΔΙΑΙΤΑΝ ΤΩΝ ΑΝΘΡΩΠΩΝ ΟΚΟΙΗ  
ΗΔΟΝΤΑΙ ΠΟΤΕΡΟΝ ΦΙΛΟΠΟΤΑΙ ΚΑΙ  
ΑΡΙΣΤΗΤΑΙ ΚΑΙ ΑΤΑΛΑΙΠΩΡΟΙ Η ΦΤΛΟ-  
ΓΥΜΝΑΣΤΑΙ ΤΕ ΚΑΙ ΦΙΛΟΠΟΝΟΙ ΚΑΙ  
ΕΔΩΔΟΙ ΚΑΙ ΑΠΟΤΟΙ ΚΑΙ ΑΠΟ ΤΟΤ-  
ΤΕΩΝ ΧΡΗ ΕΝΘΥΜΕΕΣΘΑΙ ΕΚΑΣΤΑ.

ΙΠΠ. περὶ ἀερ. ὑδατ. τόπ. γ.



DE ANEVRYSMATICIS  
PRAECORDIORVM MORBIS  
ANIMADVERSIONES.

---

P A R S P R I M A.

§. I.

*Introductio.*



Etusta sanè , eaque communis omnium querela est ex prisca mortaliū gente ad nos usque traducta , vigens adhuc , & usquè in posterum duratura , quod nempe natura rerum in iis , quas posuit , legibus truculenta nimium adversus humanum genus extiterit , non modo brevissimos ipsis vitae terminos circumscribens , sed per ampla morborum agmina ad eorumdem perniciem adinveniens , quasi omnes penitus humanitatis , & sollicitudinis notas exuerit : Nam unica

A

tan-

tantum nascendi constituta via innumeræ, ad morientium panduntur hominibus. Si tamen humanae vitæ regimen animo revolvat quicumque mores hominum sedulo perscrutari decreverit, omnem penè culpam semper propemodum tribuendam ipsis esse ultro fatebitur. Et sane rerum non naturalium abusus, qui iam dudum irrepserat, novos intulit morbos, quos recrudescere in dies coegit humanae naturæ socordia. Eos inter, qui nobiliores adoriantur partes, praecordiorum Aneurysmata, vel sponte obvenientia, vel longe protracta, nostræ præsertim Italiae hoc aevò familiarissima, accuratam Medicorum attentionem extorquent: Horum quippe morborum originem, si sponte nascantur, hominibus ipsis tribuendam esse non inficiamus; at si ab ineunte aetate exordia sumpserint verendum profecto est, ne origo eadem in iis, quorum custodiae pueri demandantur, non sit utique refundenda. Illud vero unum aegrotos magis angit, atque sollicitat, quod nimirum huius naturæ affectiōnum scaturigines tum prænoscuntur cum remedīis haud suppetit locus. Accurata itaq; opus esset observatione, si præcipua, quae hosce respiciunt morbos, perstringi vellent, ut iis, qui huiuscmodi perniciosis, atque laethalibus succubuerunt affectibus, aliquod exinde levamen accederet. Id autem aliqua ex parte peragendum mihi esse proposui, ut si fas est aliquid lucis ex observationibus mutuari concedatur, quae ad veri inquisitionem vel propriae, vel alienae valetudinis cupidos veluti manuducat, ut frequenterissimi morbi vites quantum licuerit infringantur.

## §. II.

*Hominum querelae.*

**Q**UAM plurimos ego saepissimè audio, qui non modo de morbis popularibus, & haereditariis conqueruntur, sed adversam incusant sortem, eo quod quam plurimis conflictentur, quos insciî in adolescētia nonnunquam adepti sunt. Id autem non absque stupore considerandum occurrit, quod cum in Nosodochiis Anatomicae instituuntur observationes innumera, eaque inopinata in incisione cadaverum praecordiorum vitia perpetim deprehendantur, inter quae Aneurysmatica praecipue expendenda offeruntur, quae miserum exhibent quotidiè observatoribus spectaculum. Ut igitur hisce calamitatibus humanam vitam breviorem reddentibus, & diuturna lucis usura homines immatûrè privantibus constitui remora possit, id unum necessarium videtur, ut nempè funesti tales eventus physiologicae subiiciantur analysi, ut investigatis praecipuis causis aliqua exinde nanciscantur aegrotantes emolumenta. Itaque minimè alienum a veritate mihi videtur, pueros a parentibus, aliisve illorum custodiae negocium nactis neglectos, ac perperam tractatos Aneurysmatica praecordiorum vitia, atque alia, quae teneram aetatem illam, cùjuscumque impressionis capacem, invadere consueverunt, contrahere posse, ( Vid. § xxviii. LXVIII. ) quae pro datis occasionibus manifestentur, & ingravescant. Antea vero huiusmodi affectuum vetustatem, atque naturam examinare non displicebit.

## §. III.

*Aneurysmata apud veteres.*

**A**rteriosos canales a corde non longè positos, quorum nomine ampliores quosque truncos longius protractos designari velim, Aneurysmata contrahere haud infrequentí observatione compertum fit. Latius interea praecordiorum nomen accipere congruum erit, quandoquidem id & a Celsó (a) peractum noverim, qui eadem usque ad hypochondria protendit, adeo ut in tali spatio universus comprehendatur aortae tractus, ubi efformantur frequenter Aneurysmata, veluti ex dicendis evidenter apparebit. (§. xxv.). Non videtur tamen huiusmodi affectibus quaedam deneganda vetustas ex vitae hominum regimine, & analogia corporum deducenda: Quidquid enim quibusque contingere corporibus ex eorumdem textura dicens originem deprehenditur, paulo intensius, sive remissius in uno eodemque corpore aliorum respectu agere exploratum est. Ast vitae regimen, circa quod tanto magis lascivunt recentissimi quidam, & delicatuli hominum: quanto in deterius valetudinem ruere quotidiana nos edocet observatio, eo devenisse apud veteres, Graecos praesertim, atque Romanos narrant historiae, ut si exercitationes corporis, & lauta convivia, quae tem-

(a) L. 4. cap. 1., & 8., l. 2. cap. 3., l. 5. cap. 26. &c. Vid. Morgagni Epist. IV. in Cels. Tom. II. pag. 101. Patavii 1750. & Lomm. Medic. Observ. l. II. Tornaci 1557. Sylv. de le Boe Prax. Medic. Ap. Tr. VI. §. 39. pag. 741. Trajecti ad Rhenum 1695.

temporibus illis instruebantur, duntaxat expendi velint, nonnisi deplorandus excessus ad propriam perniciem traductus valeat observari. Quemadmodum vero quidquid ad corpus quatiendum, atque eiusdem depravandam oeconomiam accommodatum est, vitia praecordiorum inducit, veluti demonstrabitur, ( §. XXIX. XXXII. XXXIV. LII. LVI. &c. ) ita veteres, utpotè iis fernè omnibus addictos, quae talia efficiere poterant, credendum est saepenumero adductis affectibus succubuisse. Cadaverum sectiones, quae res huius generis extra omnem dubitationis aleam collificant, cum parum, aut nihil vigerent, haerentem dubio relinquunt animum, nequè aliò referenda certitudo est, nisi ea, quae nostris temporibus usuveniunt, cum iis, quae apud illos contigerant, conferantur. Luxus itaqùè adeo creverat, ut tum in exercitationibus, ( §. LVI. ) tum in conviviis, ( §. LIV. ) quidquid libuisset, non autem quidquid esset proficuum veteres amplecterentur, & cuncta, quae ipsi peragerent, voluptatem, atque libidinem redolerent. Eo insuper priscorum deliravit insania, ut vel in Gymnicis peragendis exercitationibus quidquid populo placuisset praestandum fore, & in opiparo, & multis ferculis instruto convivio dignus laude censeretur nonnisi quicumque delibatis dapibus universis peculiarem ingluviem ostendisset. Omnis igitur relinquenda inquisitio est, qua decerni possit, utrum nempè praecordiorum affectibus veteres magis, quam recentiores homines tentarentur: Ipsi namquè non modo in adductis rebus frequentissimè delinquere consueverant, quin & persæpè promiscuam venerem appetebant, ex qua non laevia detrimenta diminant, ( §. LII. ) & quae peragebant intempestivis immiscebant illecebris universa.

§. IV.

## § IV.

*Veterum cognitiones.*

**E**X his itaque concludi posse videtur, errata in iis, quas non naturales res Medici nuncupari voluere, plurimum apud nationes veteres viguisse, ex quibus morbi, de quibus sermo est, cumulati fuerint, veluti eorumdem mores ostendunt, qui ex accuratis historiis depromuntur. Quoscumque insuper illorum praematura morte fuisse peremptos in ipsis Medicinae primordiis accepimus, et si oracula neutiquam consuluisse, ne dum optimum antea extorsisse responsum credendum sit, quandoquidem dum praecordiorum frequentius grassarentur morbi superstitionis gentes illae moribus efferatae perraro Deorum frequentare delubra consuverint, ut oblato libamine ex oraculis vaticinia captarent, exindeque valetudinis, aut interitus nanciscerentur securitatem; quum tamen vitae adhuc superstites oracula de morbi origine, atque successu compellare decrevissent, nullum extorquebant tutius responsum, quam ut amuleta non despicerent, ne, ut ipsi commenti sunt veteres, repentino aliquo cordis morbo succumberent. Quod autem licet prioribus illis, rudibusque Medicinae saeculis contigisset, quibus falsa extispicia, vesana supersticio, eristicae fraudes, & multiplicita deliramenta viguerant, rem tamen, de qua agimus, adumbrare videtur: Subdola enim Sacerdotum responsa, atque fraudolenta verba, quae temporibus illis usurpabantur, aliquid, quod nonnumquam accideret, videntur supponere, cum ipsi vel ea, quae ab aliis pronunciari audiverant, vel quae sibi veritati

ma-

magis consona visa forent, effari saepe saepius consueverint. Longè probabile igitur elucet argumentum, ex quo id vel maxime erui queat, quod nempè eos inter morbos, qui praecordia torquebant veterum, Aneurysma ipsum recensendum sit ipsis adhuc hominibus incompertum. Hippocrates tamen veram cardiaci Aneurysmatis habuisse notionem ambigitur, licet variis in locis tumores in vasis cordi adhaerentibus, inque arteriis sedem habentes enumeret (*a*). Insuper ipsi Galeno (*b*), Aetio (*c*), Aeginetae (*d*), Actuario (*e*), aliiisque ex Graecorum familia vario quidem nomine fertur innotuisse, quodque non de Graecis modo scriptoribus, verum & de Arabibus ipsis syncrona evulgantibus volumina vaticinari cuilibet datum est. Quare non Hippocratem tantum praecordiorum Aneurysmata forsitan perspexisse, & ab Herodico Selymbriano eorumdem percepisse notionem suspicantur, cum & reliquis, quamvis humanorum cadaverum sectionum haud inexpertibus, comperta credantur. At ne conjecturis potius quam veritati litare videamus, ultro contendimus, Galenum nimirum utique Aneurysmata perspexisse, nullumque ex his, qui ante illum supersunt scriptoribus, de tali morbo aperte fuisse loquutum, cum

ille

(*a*) ΗΠΠΟΚΡ. τρεπτώς. Sed male deducunt Medico critici ex ipsis libro Περὶ καρδίης, cum sit apocryphus, neque Galeno ipsi innotuerit, et si alii contrariam tueantur sententiam. Vid. Georg. Seger Differt. de Hipp. lib. Περὶ καρδίης ortu legitimo. Basileae 1661.

(*b*) Περὶ φλεβῶν. Θεραπευτ.

(*c*) Τετραβίλ. κεφ. i.

(*d*) Βιβλ. γ.

(*e*) Μεθοδ. Θεραπευτ., βιβλ. α', κεφ. ii.

ille primus præ caeteris videatur, qui hosce affectus aliqua ornatos observatione complectitur.

### §. V.

#### *Aneurysmatum observatio:*

**N**eque is ego sum, qui veteres sanguinis circuitum agnoscisse sentiam, etsi vetustissimum sanguinis in gyrum acti inventum nonnulli praedicent (a), ex quo quidquid de Aneurysmate cogitarent planè deduxerint. Si ulla proinde constituenda epocha tutior occurrit, in qua relati huc usque morbi observari ceperint, haec ab inceptis cadaverum sectionibus, & ab invento sanguinis circuitu repetenda est, quin vetustiora eminus attendantur figmenta, luridisque agyrtarum commentis fides habeatur, qui falsa pro veris obtrudere delectantur. Quum igitur Medicinae incrementum, & instauratio illis accepta referenda sit saeculis, quibus incidenda frequentius occurrerunt corpora mortuorum, non secus ac illi faultissimo, quo sanguinis circuitus deprehensus est, hinc decerni posse videtur, veram cordis affectuum, praesertim vero **Aneurysmatum**, naturam una cum peculiaribus coniunctam observationibus elapsis retro saeculis cimmeriis involutam tenebris latuisse, usque dum ex autopsia pa-

(a) Notum Synensibus antiquitus fuisse ex Clyero refert Th. Bartholin. *Act. Hafnien.* an. 1676. pag. 4., Emissaeque Episcopum Nemesium id agnoscisse creditum fuit. Vid. *Friend History of Physick from the time of Galen to the beginning of the sixteenth centuris.* London 1751.

pateret veritas, qua posita eorumdem morborum causae suppeterent indagandae, quod ab inventa circulatione fieri accuratius potuisse neminem latet. Illud autem vel maxime observari meretur, quod nempè efformato Aneurysmate vehementes persentiuntur ut plurimum pulsationes (§. vi.), quibus a veteribus sedulo animadversis praeberti ipsis debuisse crederem indicia circulationis: Nulla etenim alia suppetit consideranti ratio, quae aliam vehementis hujus arteriarum motus ostendat causam praeter aductum fluidorum impetum, nisi ad occultas ipsi qualitates illico confugissent. Sac igitur est decernere, quod nam tu-tius tempus ad inveniendas Aneurysmatum causas afulserit: Nam haud aliter cogitandum superest, quotiescumque indubia perquirantur fundamenta, quibus observationum tempus innitatur; perarduum profecto est criticorum lites componere nisi adsciscantur observations. His itaque fidendo vitia praecordiorum ad Aneurysmatum classem referenda veniunt examinanda.

## §. VI.

*Aneurysmatum definitiones, & divisiones.*

**P**Atet iam ex Anatome cordis fabrica, simulque observata recentiorum docent, quatuor, sive quinque tunicis arterias stipari propè cor magis conspicuis, in aorta videlicet, & pulmonali. Media inter has, quae tenax est, & ad tendineam substantiam accedit, observationem exigit peculiarem, cum vero, & spurio Aneurysmati, quod attentius examinandum occurrit, supervenienti, non exiguo esse possit impedimentum.

mento, & sat validum exigat impulsum ut dissiliendo fatiscat. Distinctionem hanc ab aliquibus receptam, explosam ab aliis, necessariam in praesenti tractatione esse arbitror, etsi saepius verum, quam *spurium* in arteriis praecordiorum deprehendatur, ut rerum obscuritas evitetur. Sed ne fallacia ex nomenclaturis exoriatur, utriusque ideam a me receptam, praemissa generatim Aneurysmatis definitione, in medium affram. Aneurysma itaque, Graecis ἀνεύρυσμα (a), quod ab ἀνεύρυω deduci posse videtur, tumor est ab arteriolo extravasato sanguine productus, veteribus alio fortassis nomine notus, praeternaturalis, mollis, circumscriptus, & facile cedens, systaltico, atque diastaltico motu interdum praeditus, pulsationem habens illi synchronam, quae in illa, ubi locatur, arteria suspicitur, & quae evenire quandoque potest, ut ex excedenti, duroque tumore ex grumescente sanguinis in extensione Aneurysmatis contenti quantitate suborto prohibeatur, vel obscura admodum fiat (b). Si simplex

(a) Ab Arabibus *Aporisma*, *Hyporisma*, nec non *Emboryma*, & a Barbaris *Emborysmo*, testante Fuchsio *Inst. Med. l. III. sect. 1. cap. 26. Lugdun. 1541.* corruptis nominibus appellatur.

(b) Veterum Graecorum definitio iuxta Hippocratis, & Galeni mentem reperitur apud Gorraeum *Defin. Medic. v. ανεύρυσμα Parisiis 1622.* & apud Foelium *Oeconom. Hippocr. pag. 38. Genevæ 1662.* Legitur in Codd. MSS. ανεύρυσμα, & nonnumquam ανεύρισμα, quemadmodum videri potest apud Budéum *Lex. Graec. Lat. pag. 185. Parisiis 1562.* Sed, ut ait Henricus Stephanus *Theſaur. Graec. Lingu. pag. 1310. Parisiis 1720.* mendosam esse hanc scripturam constat, & in Indic. *Theſaur. pag. 443.* affirmat quod ανεύρισμα, & ανεύρισμα perperam apud Medicos reperiuntur scripta pro ανεύρυσμα, &

plex arteriae dilatatio, seu alicuius duntaxat interiores tunicae discissio, caeterarumque protensio adsit citra cruentam ex arterioso tubo eruptionem verum erit Aneurysma. At vero si sanguis idem è suis effluat pomerii absque repagulo, & patens alicuius tunicae, sive tunicarum omnium seu erosio, seu repentina ruptio deprehendatur spurium dicetur, cui alii Aneurysmaticam addunt ecchymosam non longè ab ea dissimilem, quae innotuit Galeno (a) ex arteriotomia dicens originem, & quae pro variis gradibus transitum ex vero ad spurium, & ex spurio ad verum Aneurysma praemonstrat, veluti deprehendit Anelius (b). Veruntamen haec raro in praecordiorum contingit Aneurysmate: At allata distinctio non modo in Aneurysmate aliarum corporis partium conspicua fit, cum & in eo, quod circa praecordia gignitur, observanti manifestetur; ex quo fit, ut affectiones omnes, eaque symptomata, quae tali morbo communia sunt, parum, aut nihil pro varietate locorum inter se differant, quibusdam duntaxat exceptis casibus, quos proponeamus. Sed morbus ipse, etsi eodem fermè modo in plerisque nascatur partibus, nihilominus suas ex lo-

B 2

co

*ἀνεύρυσμα*. Haec tamen varietas facile iis innotescet qui Medicorum Graecorum textum considerare non recusabunt: De hac enim aegritudine differuerunt præ caeteris Galenus Περὶ φλεβῶτομ. Διηγεῖται. Aetius Τετραβίβλιον κεφ. i. Aegineta βιβλ. ζ. Actuarius Method. Διηγεῖται βιβλ. α' κεφ. η'. & Dioscorides βιβλ. δ. Sed quidpiam ex Helychii operibus, & Fabriciana Bibliotheca comparari posse compertum est. Vid. Scapul. Lex. Graec. Lat. pag. 513. Lugduni 1663.

(a) Περὶ φλεβῶτομ. Διηγεῖται. Vid. Ballon. Cons. Medic. l. 1. cons. 107. Parisiis 1640.

(b) Mémoires pour l' Histoire des sciences, & des beaux Arts. A Trecoux 1716.

co accipit differentias, ut & ipse iam in reliquis humani corporis morbis agnovit Hippocrates (a). Harum praeципuae, quae ex loco desumuntur, in eo consistunt, ut nempè plus, minusve Aneurysmaticus protendatur tumor, qui si parum, aut nihil resistentiae ex contiguis partibus acceperit, absque ulla remora expatiabitur; si minus, difficulter perangustos fines praetergredietur, nisi quidpiam validum supervenerit, ex quo resistentia partium superari admodum queat. Ut igitur *verum* constituatur Aneurysma causae adesse debent, quae cordis, & arteriarum texturam debilitaverint, nec non connaturalem imminuerint resistentiam. *Spurium* vero, nisi ortum ab erosione fuerit, adauictam agnoscit vim impetus recti, sive reflexi sanguinis supra nativam cordis, & arteriarum resistentiam impellantis, nisi quidpiam extrinsecus supervenerit. Diagnostica vero utriusque signa, licet vagentur incerta, tutius tamen ex observationibus eruuntur (§. LXXII. ),

### §. VII.

#### *Aneurysmatum efformatio.*

**S**ed quotusquisque est, qui minimè noverit, inter Aneurysmata, quae maximè circa praecordia nasci consueverunt, multa variae indolis observari? Nil igit-

(a) Τῶν δὲ δὴ νούσων ἀπασέων ὁ μὲν τρόπος ὁ αὐτὸς, ὁ δὲ τόπος διαφέρει. ΠΠ. περὶ φυσ. Haec omnia clariora fiunt si internum Aneurysma ab externo distinguatur, & alia observentur, quae proponuntur praesertim ab Heistero *Instit. Chirurg.* P. II. sect. I. cap. 13. Norimbergæ 1731.

igitur repugnare videtur, quo minus cordis prolapsus, ciudemque immutatus locus (*a*), & adaucta ipsius moles ad Aneurysmatum clavsem reducantur. Immodica sanguinis quantitas, quae vasa cor nutrientia pervadit potest huiusmodi vitia producere, & cordis etiam magnitudinem a naturali recedentem ( §. x. ); id tamen Aneurysma *cardiacum* liceat appellare. Ramis innumeris arterias, quae coronariae vocantur, per intimam divagari cordis substantiam docet Anatome, quae diametro fiunt sensim ampliore si insignis adsit crux affluxus, & crassie polleat non exigua. En itaque maior in arteriam canaliculis pressio, atque earumdem expansio, ex qua validissime adiguntur cordis fibrae, & gradatim moles extenditur universa. Quum autem crassa, rugosaque tunica in arteriis coronariis deprehensa sit valde ad erosionem suscipiendam accommodata, hinc si sanguineae plethorae erosivum interdum superveniens adiungatur principium ( §. LI. , LXXII. ), tunicarum affectio facilimè promovebitur. Quarè non incongruum erit asserere, ipsas coronarias arterias peculiari fieri obnoxias Aneurysmati, quod *idiopathicum* appellabitur. Immodica in vasis coronariis amplitudo ut plurimum cum glutinosa, crassaque sanguinis in iisdem vasibus contenti materie copulatur. Sanguinei proinde globuli mole aucti dum magno adiunguntur impetu ultimi generis vascula difficile pervadunt, exindeque aut sensim ampliantur, aut ex grumescente obturantur sanguine, fitque impedimentum ubi vasorum rami divaricantur, ex quo in alternis cordis con-

tra-

(*a*) In puerò cor in dextra locatum detectum est, quin ne minimum quidem ne dum in laeva, sed ne in medio quidem Thoracis propenderet. Vid. *Journal des Savans* an. 1668.

tractionibus eadem semper praeternaturalis vasorum amplitudo suboritur, atque interna cordis structura pervertitur. A robore fibrarum, ex quibus vasa coalescunt, eorumdem vasorum rebus enascitur: Atqui maior, minorve vasorum latitudo composita mensuratur ratione ex directa impetus impulsi fluidi, atque inversa resistentiae laterum: Ex athonia igitur fibrarum resistentia laterum minuetur, & vasa consequenter distendentur eodem semper impetu permanente. Quum itaque in tumorem Aneurysmata concrescant (§. vi.), utique percipitur, quomodo impulsus fiat in substantiam cordis adeo validus, ut spiralium fibrarum superare valeat resistentiam. His accedit, quod sanguinis impetus minimè remoratur ex arteriis majoribus, quinimmo facilior redditur: Tunc etenim arteriae coronariae replentur cum exinanitur aorta, ex qua ipsae ducunt originem, adeoque prioribus in systole permanentibus altera persistit in diastole, veluti monuit Boerhaavius (*a*). Immanem cordis amplitudinem in homine ex ipsis incunabulis admodum ingluviei dedito ego ipse observavi, ex qua interitus fuerat consequutus, quodque titubanti animo calcar addidit, nimium ut arbitrarer, non secus ac suspicabar, ex nimia sanguificatione, quae in ipsa pueritia inchoaverat, cardiacum sensim Aneurysma supervenisse: Etsi enim in parva puerorum machina necessaria sit ad eius incrementum progressiva sanguificatio, ea tamen si modum excesserit, vasa plus aequo reddet ampliora, ac fibrae gradatim dilatabuntur, & perrumpentur; quod non usuvenit si debita quantitate edulia facile digerenda, cruentemque mediocriter augmentia commen-

*(a) Praelect. in propr. Instit. §. 183. Lugdun. Batav. 1734.*

dantur (§. LXIX.). Apparet insuper causa Hydrocardiae (§. XXII.), quam simul cum excedenti cordis amplitudine mihi crebro videre contigit, semperque propemodum consecutivum mortis effectum esse arbitror, nisi aliae praeexiterint causae ratiocinationes theoreticas eludentes. Age dum nonnulla de hac praeternaturali cordis amplitudine proponantur, ut proinde maiorum vasorum cordi adhaerentium Aneurysmata physiologica expendantur disputatione.

## §. VIII.

### *Ingens cordis amplitudo.*

**Q**UONIAM vero praeternaturalis haec cordis amplitudo, unae eo vel maximè quia ex adaucta cavitatis vasorum sanguinem ferentium amplitudine produci possit, ad Aneurysmatum classem iure, meritoque reducitur, persaepè in incidendis corporibus mortuorum occurrit observatoribus inspicienda altumque de illius causis penes Scriptores silentium est, nisi ea, quae de polypis, abscessibus, calculis, tophis, callis, aliisque organicis impedimentis continui solutionem ultro inducentibus, & unicuique conspicuis effati sunt recentiores, comminisci velint, è propriis nondum te-nebris, ubi iamdudum conseulta delituerant, accurate exturbata, ceu rudioribus quibusque innotescit; hinc observationibus, si quae praesto sint, innitendum foret, ut ex iis, quae luculenter Scriptores meminerint: aliquid lucis emerget. At enim Philosophorum observationes prævia analyseos suffultæ methodo non nisi ex ritè constitutis quibusdam, optimisque princi-piis

piis deducuntur, hisque prosector Medicina careret, ni ad observationes tamquam ad sacram anchoram, optimumque praesidium confugiendum superesset. Itaque amplitudinem huiuscemodi in hoc ancipiti rerum statu considerandam aggredimur, eiusque causas ex observationibus deducendas esse putamus, ne nimium fortassis in tenebris trepidando, si quae peculiares ex generalioribus advenientibus causis hauriendae contingerit, minimè detegantur.

### §. IX.

#### *Causae peculiares.*

**H**audquaquam nescius ego sum, vel praeteritis, longèque dissipatis temporibus stupendas cordis amplitudines deprehensas fuisse, quas assidua annorum serie, frequentique cadaverum inspectione magis magisque patuisse constat, nostrisque praesertim saeculis, quae parum, aut nihil habent quod antiquitati invideant, haud infreuenter observantur, dum experientia in humanis iugiter captandi corporibus innata penè dixerim Medico-Anatomicis libido est. Praeternaturalis tamen, & ingens cordis amplitudo non morbosa semper censenda est, nisi dilatationis causa vel in corde ipso, vel in vasis ipsi adhaerentibus palam fiat: Nam in ipsa foetus efformatione monstrosi cordis genesis contingere posse haud repugnat, quod quantumvis rarum seclusis tamen causis manifestè apparentibus oriri posse dicendum videtur. Morbosa tamen affectio adeo diversa cohonestatur imagine, ut variantes saepè saepius variis in corporibus exhibeat magnitudinē.

tudines multum a primaeva constitutione degeneres: Modo enim cor universum undique protensum (a), modo in base, modo in cuspide dilatatum adinveniatur, modo fungosa carne externo eiusdem cono adhaerente repletum, nothoque veluti carcinomate; & sycosis fulcitum, modo crux inhexaustum, modo prorsus exinanitum, naevisque refertum, glabra superficie, atque insolitis maculis circumseptum, internisque quasi carneis lemniscis, ac veluti myrmeciis, qui ex eiusdem succussi cavernulis foras profluunt, musculosam, quam & ipsi substantiam referunt, penetrantes obductum, siue planè dissimile, ut quandoque ne cordis quidem imaginem in unaquaque propriae com-

C pa-

(a) Cor triplo maius observavit Marchettus *Observ. Chirurg.*  
*Observ.* 49. maximumque pariter visum est cum ingenti cavae amplitudine supra diaphragma demissum. Vid. *Misc. Nat. curios.* Dec. I. Tom. IV. *Obs.* 40. Haec dum olim Florentiae scriberem vita functum vidi ex immanni morbo Religiosum Virum nomine Carolum Philippum Angelinum Mediolanensem ex inclita Capuccinorum familia pietate, moribus, & doctrina conspicuum, qui in Imperiali Laurentiana Basilica Apostolicum Concionatoris munus in Quadragesima illius anni 1756. Fiorentiam perrexerat impleturus. Cadaveris itaque instituta sectione supra caetera notatu digna, inter quae lapidescentes, & calculosae quam plurimae tum in cystide fellea, tum in ureteribus adinventae substantiae peculiarem philosophandi materiem Medico-Anatomicis tribuere, cor plus quam duplo maius est adinventum, cuius praeternaturalis magnitudinem cum aliis morbis affectibus consociatam adeo functiones corporis immutasse suspicandum videtur, ut interitus exinde fuerit consequutus. Id etiam nuper observavi in homine, qui Pleuride laboraverat, nullumque auctae cordis magnitudinis signum ostenderat, veluti ex epistola appetet, quam ad Novarensem amicum misi. Vid. *Novell. letter. di Firenze d' Agosto an. 1758.*

pagis parte praefeferat. Haec autem in maioribus quoquè canalibus cordi proximis detecta sunt, ita ut ad ostium aortæ in singulis semilunaribus valvulis duræ, fungosaeque substantiae, nec non exigua quaedam, & inaequalia sarcomata fuerint adinventa in fibras, atque lacinias ad instar condylomatum eo usquè protensa, ut intus aortam ipsam inclinarent, nequè se citra scissuram avelli ab iisdem valvulis paterentur. Id autem reticendum nequaquam videtur, quod nempè ideo morbosam cordis magnitudinem, eamque excedentem a naturali distinxerimus, quia in peragendis circulationis muneribus augeri necessario cor debet mole sua, ut postea sanguineus latex ex eiusdem erumpat ventriculis, qui tanto magis minuantur, quanto maius substantiae cordis est augmentum; idque morbosae discriminem amplitudinis a naturali distinguit, propterea quod semper illa augescit quando haec eadem assidue persistere compellitur.

## §. X.

### *Varices venarum.*

**E**go equidem arbitror, praecipuis adductorum phœnomenorum causis, vasorum, quae coronaria vocitantur, quorum nomine tum venae, tum arteriae accipiuntur, varices (*a*), aut idiopatica quaedam Aneu-

(*a*) Non valde differt varix ab Aneurysmate nisi morbi sedes observetur: Aneurysma etenim in arteriis locatur, varix autem in venis, quas, praesertim propè valvulas, in suis tunicis ita extendit, ut deperdita qua donabantur forma, in ali-

Aneurysmata non immerito accensenda esse ; quandoquidem quidquid varices istas producit , & adducta pandit Aneurysmata , praeternaturali cordis amplitudini producendae non leviter suffragatur . Ac profecto quaecumque in coronariis vasis inordinatae extensiones adveniant ad praeternaturalem cordis amplitudinem promovendam conferre possunt , si arteriarum , in quas a corde velociter truditur sanguis , resistentiae vim cordis exsuperent , quod ex multiplicibus , variantibusque causis deduci potest , quas inter plae thoricus corporis habitus recensendus est , auctaque in morbis acutis celeritas , inflammatoria corporis constitutio , arteriarum vitia , & alia quam plurima ab unoquoque facilè prae noscenda . His , aliisque constitutis facilè pervertitur oeconomia circulationis : Tunc enim integra cordis obtineri nequit exinanitio , cruentaque congeries in coronariis vasis sensim apparebit , ex qua vasa ipsa plus aequo protendentur , inductoque idiopatico Aneurysmate illico cardiacum consequetur . Id vero clarius ostendetur si adductorum vasorum proprietates ex eorumdem descriptione desumantur .

## C 2

## §. XI.

aliquo venosi tractus situ in ampliorem saccum abeat , ut in vero sit Aneurysmate . Sed uterque morbus ad cystides , sive tumores capsulatos reducitur . Aneurysma est cystis ab alterutra dilatata arteriae turica dependens ; Varix vero est nodosa , vel interpolata venarum dilatatio . Vid . Sauvages Patholog. Method . pag . 310 . Amstelodami 1752 .

## §. XI

*Vasa coronaria describuntur.*

**V**asa haec modo maiora, modo minora se produnt, eumdemque non raro situm iuxta maiorem, minoremve cordis magnitudinem asservare videntur; semper tamen observatorum oculis patent, eorumque ramifications ab unoquoque cernuntur. Haec in arterias, & venas distingui possunt, quarum priores in unum coeuntes varia, & multiplici inter se cohaerent anastomosi, atque in exilissima distribuuntur vascula, quae cuncta sensibilia cordis puncta per vadunt, omnemque penè cordis substantiam una cum venis componunt, & quae perstant in diastole quando reliquae corporis arteriae in systole manent (*a*). Aliae vero, quae sanguinem versus auriculam dextram ferunt tum inaniuntur cum reliquae in corpore implentur, tenuissimamque ostio suo valvulam positam habent. Coronariae tamen arteriae id peculiare habent, ut nempè ex iis interior superficies exterioris arteriarum tunicae densum accipiat rete, quod in systole aortae repletur, & in diastole exinanitur, ipsamque aortam in universa contegit superficie, velut ex injectionibus ipsis deducitur, quibus in sinistro cordis ventriculo institutis, eiusdem membranae immisso liquore tinguntur, cum eiusdem insuper vasa cordi proximiora ex arteriis profluant coronariis, quae nonnisi  
ab

(*a*) Tametsi hoc ipsum plures doctissimi viri afferuerint, nonnulla tamen contrarium demonstrare videntur experimenta in animalibus instituta.

ab aorta replentur. Deinde quando cor in diastole laxatur, tunc utraque coronaria vasa eo sanguine turgent, qui ex aortae contractione in coronarias arterias impellitur. Expellitur sanguis dum cor est in systole, atque per coronarias maiores venas in sinum, auremque dextrae lateris effunditur, ac per exhalantes venas in universam effluit cavitatem; neque alienum a veritate videtur, quod sanguis in coronariis contentus arteriis per earumdem oscula in aortam retropellatur. Arteriae autem coronariae supra semilunares exoriuntur valvulas opposita ex aortae lateribus directione ubi maximè illa è corde egreditur. Harum una dicitur dextra, sive inferior, quae ex aorta ipsa prodiens iuxta oram auris dextrae descendit, & circa marginem acutum reflectitur: Sinistra vero, sive superior circa obtusum reflectitur marginem ad planum inferius, & dextrae trunco occurrit; ideoque ambae opposita oriri directione dicuntur. Dextra inter cordis basim, dextramque auriculam, sinistra vero inter basim cordis, atque sinistram insinuatur auriculam, eiusque rami descendendo una cum postremis dextrae ramis, mox sinistri rami cum ramis dextram componentibus communicant. Huiuscemodi vero rami adeo exiles inventi quandoque sunt, ut injecta cera vix ad solis radios ope microscopii cerae globuli conspiciantur, qui modo in venas, modo in alias lymphaticas exhalantes venas videntur insinuari. Venarum tamen tres statui possunt ex uno duntaxat tubo valvula stipato, qui in sinu cordis locatur, provenientes, quarum maxima iuxta radicem sinistri sinus per septum in superiori plano, ac per obtusum marginem distribuitur; media vero in inferiori plano abie ad cordis mucronem, seque priori inosculatur; anterior tandem

ad

ad latus mediae contraria inseritur directione. His autem aliae adduntur innominatae sensim minores, quae praecipue in dextram auriculam inseruntur. Itaque huiuscmodi tum arteriosa, tum venosa vasa, quae cor extrinsecus ad instar coronae ambiunt, & per totam internam illius substantiam divagantur, una simul accepta coronaria dicuntur.

## §. XII.

### *Vasorum turgescientia.*

**Q**uaecumque in vasis nuper descriptis mutationes adveniunt facilè quidem omnes propemodum conspirare videntur ad praeternaturalem cordis amplitudinem promovendam, ipsiusque Aneurysmaticum efficiendum. Id autem nonnihil ab autopsia desumentum occurrit, cum huiuscmodi aliquando vasa observata fuerint ab Anatomicis turgidissima (a), horumque turgescientia non ex ipso duntaxat oborta supponit sanguine, sed ex ipsa cordis fabrica, quae ex ramis vasorum innumeris in modum glomi intortis, sive ramosae arboris coalescit. Quum vero exploratum sit, maiorem sanguinis quantitatem in cordis base, quam in eiusdem cuspidi contineri, utpote quod conico donatur perimetro, hinc si crassiora quomodo cumque fluida evaserint, perardue quidem è corde propellentur, & paulatim grumescent, nequè semper ex vi circula-

tio-

(a) In cadavere militis coronaria cordis vasa in corde magno, duro, & albicantibus referto maculis turgidissima observavit Fantonus *Observ. Anat. Medic., Observ. VII. S. 2.* pag. 20. *Venetis 1713.*

tionis advenientia superabuntur impedimenta. Fieri tamen potest, ut quaecumque obvenerit grumescentia non semper perseveret, quin immo ex aliquo naturali conatu discutiatur, ceu in foeminis deprehensum est, quae cum symptomata cordis adacti praesetulerint, supervenientibus affatim catameniis ex incipiente morbo sanae evaserunt; id quod nonnisi ex liberori superaddito per vasa ultimi generis in corde cruris transitu deducitur evenisse. Id tamen seclusis huius naturae conatibus obtineri nequit, cum impedimenta potius crescant, quam minuantur. Quoniam igitur absque libero sanguinis transitu per proprias cavitates cordis motus fieri nequit, cum hic quantitatem assentare debeat internam cordis substantiam pertransirentem, nec non ordinem servare circulationis, hinc quo magis pondus adaugetur in cavitatibus, eo minus perfectas interna cordis substantia perficiet expansiones. Caeterum qualescumque fluidorum cunctationes in minimis canalibus fiant, ideo a maiori minorum nexu relatè ad maiores exoriuntur, quia cum fluida huiuscmodi anfractus pertransire conantur, maiori resistentiae reluctando vim propriam exercent. Vasa insuper coronaria id peculiare habent, ut nempe sanguis arteria allatus haud revertatur per venas, verum in cordis se exoneret cavitates, atque vena, quae revehere sanguinem solet, eundem in cavitatem ipsam extrudat, quin necessaria fatiscere conetur lege domini incertis vagari cursibus adsolet (a).

### §. XIII.

(a) Omnia primus, quantum videtur, Raymundus Vieus-senius *Traité de la Structure, & des causes du mouvement du coeur. A Toulouse 1715.* animadvertisit, sanguinem ex arteriae coronariae ramis, aliisque finibus in cava cordis trudi, in-

## §. XIII.

*Sanguinis constitutio.*

**P**RAETERQUAMQUOD si crassis nimium partibus scateat sanguis ad minimos pervadendos canales ineptis, obex sanguinis circulationi apponetur, quae ne intercipiatur, iisdem partibus in hisce itineribus absolvendis maxima in lateralibus vis occurret facienda, ex qua coronaria vasa dilatabuntur. Minime vero id usuveniet si sanguis tenuibus partibus, globulisque coagmentetur exilibus, veluti seclusis morbosis affectibus praenoscitur, & a Medico-Physicis comprobatum est (a), etsi eadem semper cordis fabrica debeat necessario persistere, quod in valetudinariis corporibus, quae optima haemathosi destituuntur, neutquam deprehenditur, cum in his heterogeneae partes plures sint

inque internam cordis substantiam exonerari, ex quo peculiaris in corde conspicitur injectionum opere circulatio ex duplo exorta sanguine; ex eo nimirum, qui fluit per auriculas, eoque qui per arteriae coronariae fines ultimos in cavitatem cordis immittitur.

(a) Lorsq' on regarde les globules rouges du sang d'un homme, & qu'on se donne la peine de les considerer avec patience, iusqu' à ce qu' ils se soient disous, & changes en serositè, on decouvre, que chaque globule rouge se partage en six autres plus petits globules sereux de couleur jaune: si on continue ensuite à les observer encore avec la même patience, & à l'aide d'un Microscope, on les verra se separer l'un de l'autre. & se diviser en six autres globules aqueux, qui sont si trasparans, & si fins, qu'il n'est pas possible de pousser plus loin ces recherches à cet égard avec les Microscopes, qui sont aujourd'hui en usage. Essai de Physique par M. Pierre van Musschenbroek, chap. 2. A Leyden 1739.

sint quam in corporibus benè valentibus; in quibus adsunt quidem, sed aequam haud praetergrediuntur quantitatem. Atque, ut vera fateamur, sanguinem heterogeneum fluidum esse ex iis infertur, ex quibus ipse tuboritur, ceu ex Chymicis evincitur solutionibus, quae aqueas, pingues, atque tartareae partes seorsum exhibent insitas sanguini, uti vel ex longe diversis, quibus coalescit materiis divinari fas est: Ipse enim a fluidis, ut lacte, vino, aliisque heterogeneis rebus incrementa suscipit, nec non a carnibus, herbis, frugibus, & a solidis quibusque corporibus augetur. Neque delicienda proclivitas est ipsis perspecta veteribus, qua sanguis vel in corporibus non valetudinariis ad concrescendum disponitur (*a*) prout maiori, minore superveniente calore concrescendi vis augetur, veluti in acutis affectibus deprehenditur. Nil itaque mirum videri debet si crassus nimis quandoque sanguis evaserit, adeo ut nonnisi magna vi per coronaria adi-gatur vasa, & quemadmodum valde solutus aptior ad motum redditur, atque maiori efficacia proprios pervadere canales nititur, ita cunctari compelletur si nimium crassus extiterit. Omnis insuper sanguinis motus fatisceret si ea ipsi contingent, quae post institutam phlebotomiam deprehenduntur: Si etenim è ve-

D

(a) Veteres ob concretionum metum sanguinem sibi frequentissime detraxisse alienum a veritate non arbitrabitur, quotiescumque Aegyptiorum praesertim mores observentur: Ipsi enim ne in magnam sanguinis abundantiam incurvant *praeservationis gratia plurimi*, ne omnes dicam, quotannis non modo semel, sed bis vere, & autumno sanguinem sibi detrahunt, & hoc faciunt tam urbani, quam agrestes homines, ut ait Alpinus *Hist. Egypt. Natural.* l. II. cap. 10. pag. 126, Lugdne. Batav. 1735.

na missum fictili exceperis scypho , eius sensim rubentem partem in fibrosum conglutinari rete conspicies , cuius in areis , quae nonnisi per microscopium cernuntur , qua limpidus ichor , qua rubri globuli continetur ; mox serum undequaquè exprimetur , quod diurna dudum pruna concoctum in cartilagineam , ac penè osseam duritatem convertitur . Haec tamen licet diversimodè in sanguine fiant dum in venosis , & arteriosis vasis locatur (a) , saepè saepius observatorum oculis innotescunt , ipsumque cor infestare videntur .

### §. XIV.

#### *Cordis obstrukciones .*

**A**dducta proindè constituta remora ex inducta crastitie sanguinis originem trahente obstrukciones intus cor suboriri necessario debent non idiopathicum modo in coronariis vasis producentes Aneurysma , at ipsius quoquè cordis amplitudinem promoventes . Obortae observantur tales obstrukciones sive in ipsis arteriosis canalibus , sive ad extrema eorumdem oscula , ex quibus liber sanguinis circuitus aliquatenus praepeditur . Quum vero cordis contractiones nusquam fieri desinant , atque sanguis ipse in arterias perpetim defera-

tur

(a) Quaelibet fermentationis species in corde , atque arteriis excitata ob mutuos cordis motus major est quam in venis , atque adeo efficere potest ut sanguis magis caleat , rubeat , & mutationes planè dissimiles in arteriis producat , quae ab iis non parum differant , quae in venosis vasculis efformantur . Mecum autem consentire videtur Widmerus Chym. corp. Animal. cap. VII. §. 55. pag. 26. Argentorati 1752.

tur , evidens est , ex tali occurrente impedimento re-  
nism quendam sanguinis in cor effici , & utraque co-  
ronaria cordis vasa repulso aortae crurore repleri ( §.  
vii. ), nec non musculosam cordis substantiam uberio-  
rem nutrititum succum recipere , valvulasque laxari ,  
ac penè diduci semilunares . Qua propter cum in una-  
quaque cordis diastole non modo consuetus fiat in cor  
sanguinis impetus per auriculas , & venarum truncos ,  
verum & superadditus in cor ipsum ex arterioso tu-  
borum latice refluxus , hinc non sola ventriculorum  
utrobique protensio consequitur , sed auricularum quo-  
que , ubi saepius propter minorem quam in ventriculis  
resistentiam , Aneurysmata ab Anatomicis reperta sunt ,  
proindeque universi cordis amplitudo induci magis ma-  
gisque debebit . Id ipsum itidem ex ebulliente crurore  
expectandum fore concludendum est , si in fibrarum  
poris dudum effusus in coronarias effluere venulas  
prohibeat ; conabitur enim se in meatus fibrarum  
intrudere , atque ex inducta quadam veluti phlogosi  
torrescens sanguis coronaria sensim distendet , & haud  
raro perrumpet vasa , credendumque videtur praeter-  
naturalem ipsum cordis amplitudinem paritum . Re-  
ticendum autem illud non est , quod nimirum grume-  
scens in corde mole aucto sanguis absq[ue] concretio-  
ne polyposa nonnumquam adinvenitur . Has quidem  
grumescentes substantias cardiaco iam praeexistente  
Aneurysmate mihi aliquando intueri contigit gelatino-  
sam referentes naturam , colore praeditas nigricante ,  
facile tamen anatomico cultro cedentes , atque nullis  
internis ipsius cordis vasis fortiter adhaerentes , sed a  
quibuslibet propemodum partibus segregatas . Minime  
vero consolidari posse apparet , nisi fibrosae gignan-  
tur in ipsis partes substantiam ipsam duram reddentes ,

& assiduis cordis contractionibus reluctantibus, quod raro admodum fieri potest, cum huiusmodi grumescentes substantiae vel in obitu ipso, vel paulo post ipsum quandoque eformari queant (§. xvii.) Huius generis fuisse videntur illae, quae anno 1656. observatoribus affatim patuere, & quae plurimos repentinos produxerunt interitus, & cor, eiusdemque vasa turgentia, cruentaque subfluida massa, & nigricante latice referta reddere visae sunt. Etsi itaque ex polypo, aliisque durescentibus concretionibus consequi praeternaturalis cordis amplitudo queat, eodem tamen secluso sit manifesta; grumescens etenim observatur quandoque sanguinis in corde congeries, non vero fibrosa, firmiterque coronariis vasis adhaerens (a).

## §. XV.

(a) Concretiones aliquae polyposae dicuntur ob quamdam fortasse similitudinem cum animalibus quibusdam marinis, quae tale nomen sortita sunt, seu cum aliis eiusdem nominis in aqua dulci manentibus, & ad Insectorum classem reducendis, quae a Lyonetto graphice tabulis descripta sunt. & in observationibus Trembleyanis inserta. Vid. Trembley *Memoires pour servir à l'histoire d'un genre de Polypes d'eau douce à bras en forme de cornes*. Mem. I. &c. A Leyde 1744. Quemadmodum autem animalia haec longis donantur brachiis, ita & polyposae humani corporis concretiones ea ratione disponuntur, qua descripta sunt a Caldesio Osservaz. *Anatom. intorn. le Tariarugh. Tav. IX. Firenze 1687* polyporum nempe brachia repraesentantes, quibus alia Insecta praesertim terrestria frequenter arripiunt, veluti adnotavit Ovidius Metam. l. IV. v. 366.

*Utque sub aequoribus deprekensum polypus hostem  
Continet, ex omni dimissis parte flagellis.*

## §. XV.

*Vasorum sanguineorum alterationes.*

**M**inores canales cuiuscumque generis multo minus ex cordis vi ampliantur, quam maiores, quibus admodum extensis minora vasa fortiter comprimuntur. Ex huiusmodi vero compressione minor in iisdem sanguinis affluxus peragitur, ex quo magnoperè debilitantur. Alicuius proinde momenti laxitas in his quocè visceribus fieri debet: quae a sanguine, qui per minores canales defertur, enutriuntur, exindeque determinatum robur accipiunt. Si itaque vel qualibet levi de causa id in coronariis vasis acciderit, haec laxabuntur, alternisque aliquantulum deperditis motibus circulationem sanguinis in vase illo, ubi locatur impedimentum, lentius peragi certum est. Reliquae igitur ramifications minoris, & infimi generis ex prohibita consueta sanguinis alluvione exinanitae prope modum supererunt, ac paulatim humore illuc sensim extillato, & per spatium, quod superest, pertransiente refertae illum eundem diu detinebunt, usque dum paulatim crassescens debilia, ubi locatur vasa immaterialiter extendat, quae in aliqua cordis systole tandem aliquando diffringentur, cruoremque inter muscularis substantiae minimos anfractus immittent. Insuper cum non modo fluidi nervi, sed determinati croris affluxus ad promovendam muscularem actionem non leviter conferant, nil mirum si quadam superveniente pressione nervosa, & sanguinea vasa alterationem quamdam subeant, ex qua ipsius cordis imminuatur actio, & aequabiliter haudquaquam exerceatur.

(a)

(a) Hinc palpitatio, & intermittens pulsus emergunt; tunc enim fluida constitutas sibi ipsis leges non servant, conanturque vasa remissius alternos motus peragere. Huiuscemodi tamen pressiones exterinsecus fieri quoquè possunt, praesertim ad basim cordis, quin aliquid aliud internè agens semper adveniat. Et sanè pinguedo illa, quae in eius base continetur, nec non glandulae nimium ampliatae vasorum truncos adeo comprimere valent, ut illud idem consequatur, quod iam innuimus. Minor ergo ex hac compressione in coronaria vasa propelletur sanguinis quantitas, ex qua vasorum eorumdem actiones immutabuntur; debiles namquè fient, nequè sufficientem fluidi quantitatem in vasa sibi respondentia transmittent. Sanguinis interim portio aliqua supererit, quae cum proprio, perennique motu destituatur, facile quidem depravabitur, & eos, intra quos continetur, canales afficiet, ibique, vel extra ipsos grumescens expatiabitur, donec cordis moles incipiat extendi, & cardiacum subsequatur Aneurysma (b).

## §. XVI.

(a) Id clarius apparet ex cognitione relationis inter vim dilatantem, & resistentiam intercedentis. Vid. Bernoulli *Diss. De mot. Musc.* §. 12. *Lugdun. Batav.* 1710.

(b) Frequentiores esse sanguinis coagulationes, rarefactio-nesque demonstravit præ caeteris Jo. Tennentius. *Physical disquisitions demonstrating the cause of the bloods morbid rarefaction, and stagnation.* London 1745.

## §, XVI.

*Polyporum indoles.*

**Q**uae autem de grumescente paulatim substantia effati sumus determinatam respiciunt sanguinis quantitatem, qua sensim durescente, licet eius moles ex vi circulationis nequeat ut plurimum dissipari, incrementum illius lentè perficitur; pertranseunti enim sanguini superest locus usquè dum immani confecta mole sanguinis fluxus prohibetur, ex quo mors repentina suboritur. Id tamen & vero in polypo aliquando contingere posse asseruit Malpighius (*a*), qui eodem in cordis ventriculis existente relinquunt ratus est canalem sanguini pertranseunti. Polypus vero celerius incrementa suscipit (*b*) citiusque durescit, ac retro-pulso sanguini faciliter oblitus, veluti ex eiusdem genesi comprobatur, si ipse praesertim paulatim fiat; nam in interitu ipso efformari quandoque posse credibile est (§. xvii.) Maiorem uberioremque sanguinis quantitatem in venis cadaverum, quam arteriis collectam reperiri repetitis comprobatur experimentis, propterea quod cum motus sanguini impressus aliquantulum in morientibus perseveret, arteriae mediocriter exinanuntur

(*a*) *Oper. Posth. Amstelodami* 1698.

(*b*) Experimenta in animalibus instituta id ipsum ostendunt: si enim ea animalibus suppeditentur alimenta, quae concretiones valent producere, dissectis eorumdem cadaveribus concretiones ipsas post mortem fuisse repertas est ab aliquibus deprehensum. Quinimmo in iis, quae ob venenatum viperae morsum interierunt, congelationes sanguineas fuisse adinvantas testatus est Redius *Osservazioni intorno alle Vipere* pag. 59. *Firenze* 1664.

tur dum sanguis, qui in easdem ruebat, in venas exinde protruditur, ubi copiosior haeret. Nam vero sive ex rubra, sive ex alba sanguinis parte polypus fiat, planè constat, coronaria vasa sanguine referta, & plus aequo amplificata, ex maiori post interitum additione peracta adeo immaniter turgere, ut fieri prorsus nequeat, quin illico disrumpantur, atque internae cordis substantiae superent resistentiam. En igitur & post ipsum interitum praetumida cordis mole magis magisque redditum inceptum, auctumque coagulum deficiente sensim nativo calore multiplices recipit mutationes. Nequè attendenda semper polyposa aegritudo est, ex qua homines interierint, cum esse queat polypus ipse mortis effectus: Si enim sanguis motum omnem deperdat coagulari potest si tenuior demittatur pars, dum praecipue a postremis exprimitur palpitationibus (a). Si quid interim polyposum antea praextiterat, ex maiori adveniente cruoris quantitate itidem extenditur, ipsique quodammodo calcar additur, cum supervenientes recentis huiusc sanguinis partes grumescentis substantiae particulis ita adhaerescant, ut unaquaeque homogeneas, quae insunt, amplectatur particulas, cunctaeque veluti attractione quadam multuo intercedente in unum inibi corpus concrescant (b).

### §. XVII.

(a) Talis coagulatio non solum in sanguine ipso, sed in tenuioribus eiusdem particulis post separationem aliquam observatur. Vid. Boyle App. ad hist. hum. sangu. P. IV. Tit. 10. Londini 1684. & Mairan Differt. sur la glace Part. I. chap. 18. A Paris 1730.

(b) Attractionis vires in humano corpore interdum agere certum est: Relicta enim cohaesione plurimarum partium, quam tantopere laudavit Hambergerus Physiol. Med. seu de

act.

## §. XVII.

*Polyporum efformatio.*

**Q**UICUMQUE polyposas concretiones seu post mortem, seu in ipso mortis tempore fieri decreverunt, ex vario aegrotantium decubitu esse deducendas opinati sunt, quandoquidem sanguinea posita crux, quae ubi sanguis in grumescentis substantiae superficie concreverit, deprehenditur, eamdem ita locatam in vasis corporis observaverint, ut ex eiusdem situ exortos in instanti fuisse polypos peculiari suspitione perstricti fuerint. Ac profecto qui coelum ver-

E sus

*att. corp. hum. san. Jena 1751.* & quam ab attractione mutua pendere omnibus enitescit, patet humanum corpus ab externo aere circumdari, qui per omnes eiusdem cavitates insinuatur, & humoribus immiscetur, quibus humidas aliquando particulas, ipsumque frigus communicat, ita ut quantum una die sanum corpus per poros amiserit tantum attractionis ope recipiat, quemadmodum in vegetabilibus experimenta demonstrant. Perspectum insuper est allium plantis pedum admotum faucibus proprium odorem communicare, assumptasque cantharides ad renes solum deferri, & mercurium intima, & remotiora quaeque pervadere corporis penetralia. At vero aequabilis fluidarum partium permixtio fieri non posset, solidaeque partes propriam non asservarent formam, & magnitudinem, neque corporis nutritio rite perageretur, ipsiusque necessaria fierent incrementa, nisi huiuscemodi vires admitterentur, quemadmodum ostendit Robinsonius *Animal Oeconom.* Prop. 29. London 1738. Necessaria insuper est attractionis mutuae vis ut vulnera facilius uniantur, & coalescant arteriae postquam incisionem subierint. Verum tamen efformato Aneurysmate sanguis minimorum ramorum maiori quantitate fertur versus eam sanguinis massam, quae ab Aneurysmate continetur, & ab ipsis membranis attrahitur.

sus spectante facie mortem oppetere visi sunt, hi memoratam crustam ita positam habuere, ut albantes sanguinis partes supremam grumescentis substantiae sedem abripuerint, ac rubrae insuper descenderint, pariterque quilibet variante decubitu si è vita decesserint rationem quamdam allatae haud absimilem quodammodo servant, ideo ut si instituta ante obitum sanguinis missione enunciatam crustam, postquam è vena sanguis eruperit, quis deprehenderit, vaticinari protinus possit, aegrotantem ex polypo moritum, ceu institutae demonstrant observationes (a). Num ita-

què

(a) Vid. Andr. Pastae Epist. ad Aletbophilum de mot. sang. post mortem. & de cord. Polyp. in dub. revocat Bergomi 1737. & Medic. Essays of the Society of Edimbourg Vol. II p. 273. Polypos ante mortem gigni putavit Kerckringius Spicileg. Anatom. Observ. 73. p. 145. Amstelodami 1673. sed ipsum fuisse hallucinatum ostendit Mangetus Biblioth. Anatom. T. II. p. 2. pag. 124. Genevæ 1685. vel quia grumosas fortasse concretiones a polypis non distinxit, veluti observandum esse docet Peyerus Met. Hist. Anatom. Med. cap. 6. Genevæ 1681. vel quia adiposae substantiae sanguini permixtae, & nonnumquam concrecentis indolem non agnovit, quemadmodum in vena cava deprehendit Bontius Medic. Indor. Observ. 8. p. 36. Lugdun. Batav. 1658. vel tandem quia carnis frustula sanguineis vasis conglutinata ea non perspexit solertia, qua perspexisse alios demonstrant recentiores, qui veterum inter se collatis observationibus idipsum de Diemerbroeckio Anatom. I. II. cap. 9. p. 372. Lugdun. Batav. 1679. Bartholinio Observ. Cent. I. ep. 2. hist. 20. Hafniae 1657. aliisque affirmari posse consentiunt. Discrimen vero, quod inter polypos intercedit, & Aneurysmata, aperte demonstrat polypos ipsos modo ante, modo post mortem efformatos aliquando fuisse. Videnda ramen ea sunt, quae infra sumus prolaturi, quibus ea addi possunt, quae apud scriptores descripta reperiuntur, & praeferunt apud Severinum De Nov. Observ. Absc. cap. 2. pag. 280.

Lu-

què semper in interitu, vel antè ipsum semper enascatur, statuendum minimè videtur, cum ex observatis innotescat, illum tum multo antè, tum in obitu ipso efformari utique posse. Atque, ut vera fatear, quamvis inficiari ipse non audeam, aegrotantes nonnullos polyposas dum è vivis excesserint contrahere concretiones, ipsis tamen adhuc viventibus easdem iampridem effici nonnumquam cepisse ex quodam veluti morbosae affectionis charactere coniicitur.

## §. XVIII.

### *Polyporum signa.*

**N**EQUE IS EGO SUM, qui observationes proprias eosque protenderim, ut complures ex polyposis concretionibus vita functos noverim, diuque in vivis degentes inviserim, ex iisque ad veram comparandam aetiologyam experimenta captaverim; quin potius ex viris spectatissimis Medicam primum longo annorum intervallo exercentibus acceperim, modo haec, modo illa, et si maximè dispera, expendenda in infirmis occurtere morbi argumenta optimis quibusque, & accuratis observatoribus inconspicua. Vibratus tamen, atque intermittens pulsus, coarctata praecordia, protensa in iugulo vasa, animi defectus saepissimè recur-

E 2

Lugdun. Batav. 1724. Riverium Cent. IV. Observ. 34. Parisii 1646. Heurnium Observ. rar. Hist. 27. Lugdun. Batav. 1609. Platerum Observ. 7. Basileae 1755. Villishum Cerebr. Anat. cap. 7 Londini 1670. Tulpium Observ. Medic. l. I. c. 44. Lugdun. Batav. 1716. Lovverum De cord. cap. 2. pag. 145. Londini 1669.

rentes, palpitationes (*a*), brachii torpor, pulsusque in eodem obscuritas, nec non spasmodicus sterni dolor non ideo observatorum ingenia torquent, ut si luculententer in uno, eodemque casu persistenter, ambigi non amplius queat, revera polypum adfuturum. His autem omnibus una simul consociatis persaepe delitescentibus, & nusquam nisi sero nimis conspicuis, nudus profecto prodirem in scenam Empyricus, si tutos quosdam proponere canones vellem, è quibus manifesta diagnosis eliceretur: Unicuique enim patet, hanc, de qua loquimur, aegritudinem ex longè variantibus causis proficiisci, quarum aliquae delitescunt densissimis tenebris conseptae. Instar omnium sit ad rem nostram quod de polypo haereditario dicendum foret, quem cuilibet sedulo consideranti perspectum est, ex causa multiplici derivari posse, cum non iisdem semper stipetur syntomatibus, seclusa cordis palpitatione, uti ex morborum historiis deprehenditur (*b*). In praeternaturali ulterius cordis amplitudine non defuere, qui certa proponere indicia meditati sunt, at si quando panduntur, non in eodem semper aegrotante persistunt,

nisi

(*a*) Aliquando ex sola palpitatione cognoscitur polyposa concretio, maximeque potest determinari, si post excedentem corporis motum ideo crescat, ut non facile tractu temporis minueratur, pulsumque debilem habeat cum difficulti coniunctum respiratione. Praecipua tamen signa nullum robur habent si polyposa iamdiu efformata concretio aegritudinem aliam produxit, quemadmodum de Apoplexia dicendum est: Tunc enim utriusque morbi signa ita confundi possunt ut aliqua ab aliis facilime destruantur, veluti observationes Wepferi demonstrant. Vid. *Hist. Appl. Obs.* 70. 71. & seq. *Amstelodami* 1658.

(*b*) Vid. *Act. Berolin.*, Dec. II. Vol. 7. pag. 99.

nisi ea comminisci velint, quae de pondere, atque molestia cordis Scriptores prodiderunt (*a*).

### §. XIX.

#### *Aneurysmatis, & polyposae concretionis coniunctio.*

**I**LUD UNUM MAXIME iuvat agnoscere, quod nempè polyposae satis superque adinveniuntur concretiones modo in vitae curriculo, modo in interitu exortae, modo denique, uti quondam legimus contigisse, haereditario veluti semine propagatae (§. XVIII.). Hasce non Aneurysmate quovis duntaxat efformato in ipsis coronariis vasis agnitas novimus (*b*), quin & ex iis idem produci Aneurysma consueuisse contendimus, ex quo praeternaturalis cordis amplitudo deduci queat: Nam quod in reliquis arteriarum truncis usuvenit, id & in ipsis coronariis canalibus animadvertitur, externo tamen, & validiori secluso impedimento ex ipsa musculosa cordis substantia interveniente, quo reliqua vasa, ubi observantur Aneurysmata, nonnumquam destituuntur, quodque ex valido, alternoque cordis motu pro diversa humanorum corporum firmitate superatur, dum propè cor universum vasorum genus concutitur. Ac profecto quacumque posita

gru-

(*a*) Vid. *Lang. Oper. Medic. Part. III. pag. 211. Lipsiae 1704.*

(*b*) Vid. *Leeuwenhoeck Experim. & contempl. pag. 179.*

*Lugduni 1696. Memoires de l' Academ. Royal. des Scienc. an. 1707. & Haller Memoire sur le mouvement du sang, & sur les effets de la saignée chap. II. pag. 22. A Lausanne 1756.*

grumescenti materie, quae paulatim in coronariis lignatur vasis, sanguinis affluxus aliquatenus intercipitur, ac ex perenni ipsius renisu intimae canaliculorum parietes adiguntur, usque dum maiori peracta concretione ex ampliore vasis capacitatem insuperabile nanciscantur impedimentum. Praeterquamquod si prava sanguinis accedat constitutio, & praesertim erosivis scateat ipse particulis ( §. LI. LXXXIII. ) tunc facile diagnoscetur, quomodo vel in ipsis minimorum vasorum cor ipsum ambientium oris haud dissimilis consequatur effectus: Ea etenim, quae ex erosione contingunt Aneurysmata in tenuioribus vasorum orificiis frequenter apparent cum aliquo dolore conjuncta, & quamcumque praeripiunt intercapelinem (a). Nil itaque prohibere videtur, quin & in extremis minimorum vasorum, quae cordi insunt, osculis idem quadam veluti constituta similitudine fiat, quod in nimio cata-maeniorum in foeminis fluxu, nec non in haemophytia observatur, quodque alias ex vi circulationis fieri prohibetur.

## §. XX.

### *Erosionum efformatio.*

**Q**UUM vero coronaria cordis vascula tenuia fuerint in extremis osculis constituta; erodi haud difficile valebunt, exindeque crux per anfractus muscularis

(a) Vid. *Hist. Morb. Uratislav.* an. 1701. pag. 238. *Lausanne* 1746. Mortua Ducis Brunsvicensis coniuge Chirurgus aperuit cadaver, & observavit dextrum cordis ventriculum ab ulcerosa erosione fuisse disruptum. Vid. *Memoires de l' Acad. Royal. des sciences* an. 1732.

laris cordis substantiae diffuso augebitur cor admodum mole sua, nequè aliquid aliud adveniens incusabitur. Ex quo fit, ut cardiacum Aneurysma in iis saepius detegatur, qui sive syphiliticis, sive scorbuticis tentantur affectibus (a), cum in iisdem coagulantes, adnotante Malpighio (b), acidique sales contineantur (§. LI.). Quod vero ad polyposae cuiusvis concretionis pertinet productionem innuendum est, non ex polypo duntaxat emergere Aneurysma consueuisse,

vc-

(a) Haemorrhagiae, quae in scorbuticis observantur, ex ipsa humorum acrimonia deducuntur, ex quibus erosa vasa sanguinea, sive mollia reddita, sanguinem contentum effundunt, veluti reluctantे licet animo in carissima sorore mihi observare datum fuit, quae quantitatem sanguinis universam per nares paulatim effudit, usquè dum integro elapso ferme anno serosa, & albicante superveniente substantia, & languidiorē sensim redditio cordis motu, tandem occubuerit, cum vix novem annos attingeret. Si ergo ex affectione duntaxat scorbutica adeo depravatur sanguinis massa, ut erosivam naturam adipiscatur, multo magis in Aphrodisiacis id usuvenire posse censendum est, cum ipsi labem immisso veneno acceptam referant. Quod vero gravius in scorbuticis extat statim apparent, & ex ipsis, et si maxime variantibus, eiusdem signis eruitur: Pustularum enim eruptio, membrorum extenuatio, pruritus, & erosio gingivarum, & alia, quam plurima laethalis huius aegritudinis argumenta ostendunt, sanguinem adeo depravari, ut vasa, quae ipsum continent, erodantur; & mollia fiant, ut facile sanguinem ipsum effundant. Hic ē vena missus atram, & grumescentem indolem in fibrosa sui ipsius parte praesefert, falsam, & acrem in serosa, ut si in minimis haereat vasis, ex ea, qua pollet acrimonia, sanguinea erodat vasa, ut ex varicosa venarum, quae raninae dicuntur, constitutione deducitur. His in minoribus humani corporis vasis ritè perspectis, facile in coronariis cordis oriri posse concludimus.

(b) *De Polyp. Cord. Dissert. Londini 1686.*

verum Aneurysmate constituto polypum ipsum in arteriae expansione efformari, ceu animadvertisit Morgagnus (a). Quid quod & in expansione alicuius coronarii vasis ex allatis casibus inducta enasci concretio potest, ex qua liberiori cruoris affluxu intercepto cor admodum crescere compellitur mole sua (b). Quaelibet autem exorta huius generis concretio persaepe in ventriculis, & auriculis cordis adinvenitur, qui ramosas propagines in arterias, & venas emittunt, ibidemque pariter ossificatas hirsutasque repertas fuisse partes accepimus totam sinistram cordis regionem occupantes (c). Quo in loco reminiscendum occurrit quod observatum est, polypos ipsos facilius in dextro, quam sinistro cordis ventriculo concrescere, & ampliorem quoquè molem acquirere.

## §. XXI.

(a) Et nos revera in muliere quadam cum nihil uspiam polyposi, & nominatim in corde, & cerebri sinibus invenissemus, intra Aneurysma tamen non magnum, in quo sinistra ejus arteria subclavia expandebatur, adhaerentem oblongum polypum observavimus. Adver. Anatom. II. Animadv. 40. Lugdun. Batav. 1723.

(b) Vermes in corde circa coronaria vasa repertos fuisse veteres crediderunt. Hos polyposas fuisse concretiones asserimus Insectorum speciem referentes.

(c) Vid. Bonet. Sepulchr. Tom. II. l. 3., sect. 16. pag. 313. Genevae 1700. Cor Leonidis Lacedaemoniorum regis ex genere Heraclidarum hirsutum fuisse repertum ex Aristide Persicarum rerum scriptore asseruit Plutarchus Πλοταρχ. δ., quod tamen insolitae cardiacorum vasorum alterationi arbitror esse tribuendum, quae ipsum quasi hirsutum reddere potuisset. Sed nonnulla libenter audire fas est, quae cruta sunt ex Misc. Natur. Curios. Dec. III. an. 5. & 6. Observ. 122. Ita namque ibidem legi potest: De corde hirsuto meminit clariss.

Dem.

## §. XXI.

*Concretionum quantitas.*

**M**onendum tamen videtur, maiorem, minoremve polyporum in ventriculis cordis sedem habentium amplitudinem eorumdem capacitati proportionari: Dexter enim quoad substantiam dimidia parte mollior, & tenuior sinistro est, eodemque amplior, adeo ut illius vis dimidio saltem robore polleat, atque sufficiat sanguinem ad usque proximos deferendo pulmones, quando sinister ad omnes totius corporis partes per minimos propellere canales debet. Dextera tamen cordis auricula non admodum sinistra maior extat,

F. cap. 1. pro-

Dom. D. David Grebnerus Med. Vet. Rest. c. 16. De cord. p. 121. & ante ipsum de tali corde alii. Hinc narrat Valer. Max. de Mirac. lib. I. c. 8. Aristomeni Messenio cor repertum fuisse hirsutum, de quo etiam Plinius Hist. Nat. lib. II. & Jo. Schenckius Obs. Med. lib. 2. De corde pilis referto scribunt curiosas observationes Pet. Crinitus De hon. discipl. Baubinus Anat. Antiqu. Benivenius De abdit. morb. caus. Theod. Craanen De hom. Plutarchus Paral. Coel. Rhodigin. Antiq. lect. l. 4. M. Ant. Muretus Var. lect. l. 12. c. 10. & tandem Anatus Lusitanus cent. 6. narrat olim Ferrariae nostrae ( sunt Lanzonii verba ) se observasse cor cuiusdam latronis insignis, & audacissimi pilis circumseptum, sic pariter hic Ferrariae an. 1696. sub fine mensis Aprilis quemdam plebeium aetatis an. 47. fortis Pleuritide extinctum in hospitali S. Mariae Novellae ( idem loquitur Lanzonius ) meae curae commisso cultro Anatomico aperui, & cor inventum est undique pilis refertum; in pulmonis autem ala dextra abscessum vidimus mortis, ac morbi causam; sic monstra nascuntur in dies, & mirabilia depromit natura semper admirabilis, semperque curiosa in triplici suo regno, animali nempe, vegetabili, & minerali. Per multa etiam ex aliis scriptoribus cruuntur.

propterea quod sanguineus latex minori vi ex **venis** in cor effluens amplioreni exigit diametrum, quam qui maiori cum velocitate per venam effluit pulmonalem; vasis etenim angustia ab aucta celeritate rependitur. Animadversum pariter fuit, non ita frequenter in canalibus a corde remotis huiuscmodi concretiones adesse, rariusque in arterioso aortae tubo sedem habere, quandoquidem ex sanguine vehementer a corde propulso dissipari valerent (a). In iis tamen aortae locis, ubi ipsa incurvatur, & ubi ramosae sunt vasorum elongationes, ex observatis esse frequentiores innotuit, easdemque cum Aneurysmate in aortae tractu frequentissime conlocari. Id autem ab uno quoque facile percipi potest, si superveniens obstaculum cum exerto conferatur Aneurysmate: Si namque concretio aliqua, quae efformari iam pridem cooperit, ex vi circulationis per aortae truncum descendens in locum, ubi iliaceae ex aorta proficiscuntur arteriae, statim descenderit, ibidemque constiterit, sanguini ad iliacas fluenti remora quaedam fiet, quae si insignis sit subitam mortem minabitur, sin vero mediocri stipetur mole, concretio haec quotidie magis subcrescens arteriae parietes amplificabit, atque in emissaria arteriarum ab aorta derivantium proruet sanguis, & modo celiacam, modo mesentericas, modo emulgentes, modo vero spermaticas comprimere conabitur, usque dum varii generis exurgant Aneurysmata. Quare non abs re concludi posse videtur, non solum ex ef-

(a) Rarum videtur, per omnes corporis arterias, & venas polyposas simul diffundi posse concretiones. At ex Zoologicis observatis evincimur, canem vita functum esse ex polypis venas, & arterias omnes corporis occupantibus. Vid. Act. Hafniens. an. 1679. Obs. 29.

efformato iam Aneurysmate innasci polypum posse (§. xiv.), sed ex polypo ipso emergere Aneurysma con-  
sueuisse, etiamsi eiusdem locus ab eo, quem occupat  
polyposa concretio, aliquantulum distet.

## §. XXII.

### *Cordis laesiones.*

**H**is itaque positis idem in ipso met corde statui posse  
apparet: Nam sive in eiusdem ventriculis, sive  
maioribus ramis adsit impedimentum, Aneurysma sen-  
sim consequitur, quod seu cum polyposa concretione,  
seu cum aliqua vasorum obstructione copulatum cordis  
amplitudinem aequo maiorem ingenerabit. Potiori er-  
go iure arguendus videtur Plinius (*a*), qui cor mor-  
bosque nusquam tentari affectionibus effatus est, neque  
forte fortuna laesum illico necem inferre audacter ni-  
mis pronunciare non dubitavit. Attamen ipsa probè  
cognovit Antiquitas, ex laeso animalis corde oeco-  
nomiam perverti universam, atque ipsi acceptum vitae  
principium esse referendum: Non enim ignem, & ca-  
loris cardinem causamque solummodo veteres appella-  
runt, sed humanae vitae thesaurum, vivifici, aureique  
nectaris fontem, τὸ μικρὸν καρδίαν solem, ipsiusque ani-  
mae sedem, veluti ex ipsa voce, quae animum quoque  
designat, ad nos usque deducta concluditur (*b*). Ipso

F 2 igi-

(*a*) L. XI. cap. 42. Parisis 1723.

(*b*) Id non solum a Graecis, apud quos vox καρδία cor  
animumque significat, indigitatum videmus, sed inter Orien-  
tales ab Iudeis acceptum novimus, quandoquidem ex voce  
Chal-

igitur morbosa qualibet affectione laborante nisi repentinum interitum, interruptam saltem lucis usuram aegrotantes experiuntur, cum non circulatio duntaxat sanguinis perturbetur; at vel morbosí emergant affectus, quos recensuimus.

### §. XXIII.

#### *Hydrocardiae origo.*

**N**on omnis profecto cordis labes internam agnoscit originem, cum alterationes quaedam ex humore pericardii subsequantur: Licet enim illo deficiente oriantur marasmus, & palpitatio, tamen & immodica existente quantitate sive congelatur (a), sive copioso plus aequo subsistente valde perniciosa affert Hydrocardiam. Ac profecto nihil aliud humor pericardii est nisi latex quidam lymphaticus è glandulis supra basim cordis iacentibus, & per universum pericardium conspersis extillatus, qui ignis calore concrescit, additoque spiritu nitri lactescit aliquando, & loturae carnium colorem praesefert, rubentesque particulas continet

mi-

Chaldea *cor*, & *animus* designatur, quasi ex Hebreæ voce transposita deduci velit, quodque vel apud Arabes idem videtur esse, cum cogitationem ex Iudea voce מהשבח intellegant. Vid. Buxtorf. Lex. Hebr. & Chald. pag. 75. Basileae 1735. Alia huius generis proponuntur a Willifio De an. brut. cap. 8. Londini 1677. Neque defuisse compertum habemus quodam ex veteribus, qui ex aucta, vel immunita cordis magnitudine diversas deduxerunt animi proprietates, veluti eruitur ex historiis, quarum nonnullas retulit Silvaticus Controv. Medic. contr. II. pag. 17. & sequ. Mediolani 1601.

(a) Vid. Philosoph. Transact. for the year. 1670.

microscopio conspicuas. Hic non modo diversi coloris particeps deprehensus quandoquè fuit ab Anatomicis, sed purulentus, talinis, acribusque refertus parriculis, aliisque inquinamentis, a quibus affici pericardium valet, eiusque capsula exulcerari, nec non phlogosim suscipere, veluti ex interno, fixoque aegrotantium circa medium sternum dolore dederit. Quum vero quantitate nonnumquam minui consueverit, decepti sunt Anatomici cum viderint pericardium ipsum artissime cordi coniunctum, ut vel ipsum asseruerint defuisse. Quamobrem ne maior, minorve huiusc humoris quantitas decipiatur aliquem, cum nunc maior, nunc minor esse debeat (*a*), prout diversitas rerum expostulat, atque iustius ferri velit iudicium, observatio in recenti cadavere, minimèque praeviis morbis, & macie confecto instituenda est. Licet itaque excedenti, ac praeternaturali posita cordis amplitudine, aliisque vitiis enasci queat Hydrocardia (§. VII.), tamen & ipsius pericardii humore qualitate peccante cor affectionibus quibusdam obnoxium fiet: Ea namquè omnia, ex quibus huiuscmodi coalescit humor, ideo extimulanti pollut facultate, ut nempe quidquid in illa capsula continetur difficile putrefaciat. Putrefacet igitur si quantitas minuatur; sin minus, pericardii membranae depravabuntur, ipsumque cor prava, & assidua torqueri colluvie non desinet. En labes absque reparculo, quae nonnumquam in cadaveribus deprehenditur neque polypo quopiam, neque alio superveniente impedimento.

## §. XXIV.

(*a*) In foetu copiosius reperiri testatus est Du-Verney. Vid. *Act. Petropolitan. Acad. Vol. 2.*

## §. XXIV.

*Pericardii alterationes.*

**M**aiorem tamen humoris, qui in pericardio continetur, labem ex putrescentibus sanguinis ibidem contenti particulis, quas satis superque adesse ex rubentibus maculis, atque colore loturae carnium consimili concluditur (§. xxiii.), arbitror accessuram, quam ex universa ipsius massa, in qua salinas, acre-sque reperiri particulas adnotavimus. Id autem tum verum esse cendum est, cum huiuscmodi sanguineae partes maximè exuberant: Tunc enim facile corruptentur, & suppurabunt, propterea quod effusus assatim sanguis è propriis canalibus facile in pus convertitur monente Hippocrate (a), nisi quidpiam contrarium advenerit, veluti in nonnullis Aneurysmatum tumoribus monendum est (§. lxxi.). Verumtamen quantitas sanguinis universa utique putreficeret, nisi magna coalescendi vis inesset sanguini, ac praeter defectum balsamici spiritus liber ambientis aeris influxus adiiceretur (b). Verum etsi talia supervenirent, ex

(a) Ήγεισ τὸν κοιλίν αἷμα ἵχυδη πάρα φύσιν, αγάγει εἰκανοῦνται. ΙΠΠΟΚΡ αἱρισμ. τμῆμ. σ., αφ. χ.

(b) Duplex ergo putrefactionis causa existit; prima defectus influentis balsamini spiritus; altera ambientis aeris, & corporis partium ibidem contentorum influentia, qua evenit, ut partes spiritu vitali balsamino destitutae, quo anteac ab omni externa causa defendebantur. & præservabantur, iam ab ambiente aere (aliisque circumstantiis) influentiam, & actionem patiantur. Becher. Phys. subl. I. I. sect. 5., cap. 1. num. 23. pag. 276. Lipsiae 1703.

assidua fortassis, perennique humorum circulatione ad nihilum deducerentur, quod tamen in pericardii humore nequit usuvenire, nisi sanguineae substantiae quantitas cum quantitate acrum, & salinarum partium minorem habeat proportionem. Quod denique attentionem quamdam videtur exigere illud profecto est, quod nempè pericardii membranae phlegmone persaepè afficiuntur, veluti ex pressione quadam circa sternum, aphnoia, assidua febri, inquietudine, siti, calore, sudoribusque dignoscitur. Si itaque suppuratione intus pericardii capsulam fiat, maxima ibidem materiae putrescentis alluvies conglutinabitur, ex qua nova consequentur syntomata cordi infensissima. Sed iis animadversis, quae praeципue cor afficiunt, iam ad arteriarum Aneurysmata perpendenda deveniendum putamus.

## §. XXV

### *Aortae Aneurysma.*

**Q**Uaedam itaque veluti series aliquando constitueda videtur, cum evenire possit, ut idiopatico Aneurysmate constituto oriatur cardiacum, habita semper ratione plethorae, ex qua allato duplice etiam existente Aneurysmate reliqua consequantur, quae arteriosos canales cordi proximiores invadant: Posita namque aucta cordis magnitudine, cum maior in ipso contineatur sanguinis copia, quam antea, ideo maior in aortam impulsus in systolis actu continget. Aortae igitur Aneurysma fiet, si huius tunicae ex assiduo, & diurno superveniente sensim impulsu debilitentur. Cadaverum sectiones rem evincunt, cum magis in aorta

ta ascendentē, quae cordi cohaerens est, quam in descendente, quae ab eodem dimovetur, frequentissimē reperiantur Aneurysmata: In aortae enim flexione maior exoritur resistētia, quae ex eiusdem curvatura sanguini opponit. Autē insuper attendenda vasorum amplitudo est in naturali statu probè conspicua, quae in vasis a corde haud longē positis praenoscitur, quorum initia magis ampliantur, quam eorumdem extremitates. Ac profecto arteriarum extensiones ex via cordis sanguineum laticem in eas impellentis dimanant, & magis minusve augmentur iuxta maiorem, minoremve cordis actionem, quae in arteriis ipsi proximioribus maior esse, quam in remotioribus necessario debet, cum ex vicino cordis impulsu maiorem in egressu sanguinis ipsi eidem cogantur apponere resistētiam (a). Plura tandem sunt, quae sanguini in aortam propulso reluctantur, inter quae sanguis arteriosa vasa replens, conica arteriae figura, & postremorum angustiae vasorum merentur observationem, nisi ea in medium producantur, quae de imminutione cavitatis binarum arteriarum, nempē axillaris dextrae, & subclaviae sinistrae fuerunt excogitata; unde aortae Aneurysma deductum quandoquā fuit utpote a defectu virium elasticarum exortum.

### §. XXVI.

(a) Maior in aorta requiritur resistētia, quae sinistro, eidemque admodum robusto cordis ventriculo aliqua ratione respondeat ut necessariae quaedam actiones facilius peragan-  
tur. Vid. Berger Physiolog. Medic. I. I. cap. 5. pag. 61. Fran-  
cfurti 1737.

## §. XXVI.

*Aliorum vasorum vires.*

**N**equè praeternaturali duntaxat aortae vasorum amplitudini semper insistendum est, quandoquidem huiuscmodi amplitudo effectus esse potest arteriosi vasis, qui suam diametrum breviorem, exindeque perimetrum angustiorem reddiderit: Tunc enim ex causa, quae contraria effectui appetit, idem consequetur effectus, qui eidem causae adversari manifestè videtur. Id vero nonnisi ex accuratis profluxit observationibus cuilibet consideranti evidenter ostendentibus, ex multiplicibus nempè, iisque variantibus accidentibus, a quibus recitandis supersedere satius est, ne longè nimium protrahatur sermo, imminui vasorum capacitem posse: Sat namquè est, ut sive ex tumore cartilagineo, sive ex superstructa viscerum vasis adhaerentium pressione, sive alia quacumque de causa immuni queat vasis cuiuscumque, & arteriosi præsertim perimetro, exindeque amplitudo aliqua non longe ab huiusmodi impedimentis insurgat. Id autem haud difficulter agnoscitur si ea observari velint, quae in circulatione sanguinis non interrupta fieri debent: Quemadmodum enim ex nimia, pusillave sanguinis alluvione pravi nascentur effectus circulationem quandoquè ipsam intercipientes, etsi definita vasorum diameter eadem semper persistat, ita eadem constituta sanguinis massa idem, vel huic persimiliis consequetur effectus si vasis angustia contigerit: Perspectum quippe est, internum vasorum spatum in composita subordinata ratione ex directis distendentibus, inversisque contra-

hentibus facultatibus. Neque longè admodum ab angustiae superadditae situ quidpiam arteriae parietes fortiter comprimens adinvenietur, eo quod maior semper vis propè resistentiam fiat supervenientem. Haec si circa praecordia fiant, nil mirum si validae exoriantur palpitationes obstaculum non exigui momenti demonstrantes observatoribus. Retropellitur itaque sanguinis portio quaedam, cui prohibita reluctatur vasorum expansio, idemque retropulsus sanguis fieri nequit, quin ibidem, ubi maiori adigitur vi, praeternaturali promoveat amplitudinem, cuius causa si insuperabilis fiat, repentinus obitus subsequetur, inspectoque mortui aegrotantis cadavere Aneurysmaticus apparebit tumor, quem in aorta existentem, inter cor, & obstaculum sedem habiturum credendum est, cum comprobetur ex observatis, ex ligata aorta tumorem fieri, qui inter cor, & vinculum intumescit. Maior autem allata superius vis ex immutata sanguinis velocitate, non secus ac ex superaddita resistentia deduci potest: Ostenderunt enim Hydrologi, quod si fluido quopiam per canalem variae amplitudinis excurrente tanta eiusdem quantitas aequali tempore pertranseat ubi minor diameter est: quanta ubi maior, velocitatis diversitatem in contraria esse proportione cuiuscumque quadrati diametrorum. Quum autem perspectum, exploratumque sit, ex fortiori obstaculo minorem fieri sanguinis velocitatem, facile quidem illa prae nosci poterit si massarum producto in quadratum eamdem respectivae velocitatis ducto per earum summam dividatur; Tunc enim vis in impulsu deperdita ex quotiente innotescet.

## §. XXVII.

*Explicatur quomodo fiant Aneurysmata.*

**S**ed ut intelligatur, quomodo verum fiat Aneurysma, ponantur cordis resistentiae =  $m$ , cordis vis =  $y$ , & arteriarum systoles =  $b$ ; erit  $m + b = y$ . Si itaque debilis evaserit  $b$  aliquo gradu  $x$ , manente tamen  $y$ , non erunt  $m + b - x = y$ . Quam obrem arteriarum diastoles respondebit decremento resistentiae  $x$ , verumque consequetur Aneurysma pro varietate locorum, quae afficit dignoscendum (a):

G 2 San-

(a) Nequè difficile nimium videtur decernere, quae quantum sit praeternalis amplitudo, quae in maioribus arteriosis canalibus usuvenerit: invento enim Aneurysmate, rotundaque posita arteriosa vasis periferia, eiusque diametro, iam vasis eiusdem innotescit dilatatio, veluti in aortae Aneurysmate demonstravit Valcarenghus *De Aortae Aneurysm. Observat. Obs. I. Cremonae 1742.* Et sanae in homine medicis magnitudinis est iuxta Keillium *Tent. 2. aortae diameter o. 73.* seu per decimalem calculum  $\frac{73}{100}$  pars unius digiti

Londinensis, area vero o. 4187. His positis sic praecitatus Auctor institutam a se respiciens observationem ratiocinatus est: Etenim istius ( aortae nimirum ) circumferentia tres dgitos mensurabat una cum viginti duabus centesimis digiti partibus. Unde cum circumferentia ad diametrum, iuxta Archimedis regulam, sit ut 22. ad 7., inde deduximus, eiusdeni arteriae diametrum aequari uno integro digito + o. 2. +  $\frac{5}{11} = \frac{2}{10} + \frac{5}{11} = \frac{22+50}{110} = \frac{72}{110}$ ; ideoque diameter iste alterius

dia-

Sanguis enim defluere per vasa debet servato virium a corde datarum excessu supra resistentias aggregatas, minimèque aequari debet vis cordis iis duntaxat resistentiis, quas invenit sanguis in proprio circuitu peragendo, uti perperam putavit Keillius (a). Quum vero efformato Aneurysmate graviora sensim evadant incommoda, patescit iam, vim contractionis in arteriis, quae vi sanguinis easdem distendentis responde-re debet, crescere caeteris paribus in ratione molis, & velocitatis, qua sanguis ipse movetur. Denique ex conformatione tunicarum magis, minusve resistentium in arteriosis quoquè vasis a corde remotis Aneurysma-ta totius arteriosi generis emergunt, veluti Florentiae anno 1755. in viro, qui senectutem attigerat, obser-vatum fuit, in quo innumera dispersa reperta fue-runt per universum corpus Aneurysmata, quae in ipsis quandoquè Zootomicis sedulo peragendis inqui-fitio-

$$\text{diametrum supra expositam superabat per } \frac{29}{100} + \frac{5}{18} = \frac{319 + 50}{1100}$$

$= \frac{819}{1100}$ ; id quod satis superque probat, quantum istius area consuetam aortae naturalem capacitatem superaret. Si quidem hoc manifestum fiet medietate diametri in circumferentiae dimidium ducta (Vid. Grandi Sez. Con., Prop. 50. coroll. 1., pag. 122. Firenze 1744.) nam dimidia circumferentia erat o. 161., medietas autem diametri erat o. 51.

$\frac{1}{2} \frac{5}{11}$ : quibus inter se invicem ductis, fit o. 8146. cinciter. Quamobrem area arteriae detectae erat ad aream arteriae a Keillio suppuratam ut o. 8146. ad o. 4187., quae sane magna differentia est cum ferè duplum referat. Haec & aliis arteriosis vasis applicentur veram, & praeternaturalem extensionem utique computabimus.

(a) *Essay on several parts of animal economy*. London 1717.

sitionibus palam fiunt (a). Quae vero de tunicis arteriarum minus resistentibus effari volumus non semper de internis intelligenda videntur: Externae enim & ipsae a quacumque vel compressione, vel contusione, vel alia immodica vi immutari queunt (b). Id autem reticendum non est, quod nempe minor internarum resistentia ex imminuta externarum vi contingere solet, ideoque si vel ex erosione (§. LI. LXXXII.), vel alio quovis adveniente casu aliqua ex externis tunicis sive laxetur, sive dehiscat, impulsus sanguinis, qui in arterias truditur, minorem inveniet in internis resistentiam, ubi maximè externalium consueta deest elasticitas, ibique haud raro Aneurysmaticus tumor sensim efformabitur. At vero sermo nunc de iisi est, quae in corde sitae sunt, Aneurysmaticis aegritudinibus, iisque in aorta, carotidibus, aliisque arteriis a corde non longè remotis sedem habentibus, etsi circa iecur, & alia abdominis viscera, & alibi conspicuae fiant. (c) Sed in aorta quam saepissimè Aneurysmata comprehensa fuisse unus est observatorum sensus, pariterque apparet, ea, quae in interno Aneurysmate notata digna perleguntur, in aorta ipsa ut plurimum contingit.

(a) Aneurysma observavit Eduardus Tyson in animali, quod *Tajacu* appellatur, seu Indico nomine *Quauhtla*, *Coymatl*, & *Quariztli*. Vid. *Trans. Philosoph. for the year. 1683. num. 153.*

(b) Neque difficile admodum est decernere qualis in sanguine velocitatis immutatio fieri possit non solum ob quamlibet compressionem, contusionemque, sed etiam ob quamlibet obstructionem, & contractionem, inductamque ab Aneurysmate dilatationem. Vid. *Robinson Animal Oeconomy Prop. 19. London. 1738.*

(c) Inter Iecur, & ventriculum Aneurysma observavit Tabarranus *Obs. Anat. S. 8. pag. 16. Lucæ 1742.*

gisse. Et sanè præ caeteris peculiaria quaedam memorantur a Littio, Morando, aliisque Scriptoribus de Medicina optime meritis (a). Insigne insuper observarunt Lafagius (b), & Rosinus Lentilius Archiater Wurtenbergicus (c), nec non Noortwyk (d), & Horstius (e), rarumque pariter in muliere abscedit Doddius (f) monstrorumque se vidisse narrat Ruyschius (g) mediocre pulvinar, quo in sedili utimur adaequans, aliudque infantis recenter nati caput repraesentans, hisque rarissimum subnectitur Aneurysma tribus iam elapsis annis Florentiae a Viris doctissimis observatum, quod magnitudine sua aortæ tractum occupaverat universum. Neque desunt dissectorum Aneurysmatum historiae ideo inter se variantes, ut propriam in unoquoque Aneurysmate assignare causam nonnisi perarduum

(a) Vid. *Memoires de l'Acad. Royal. des sciences an. 1707.*  
1712. 1721. 1732. 1733. ec.

(b) Vid. *Of the Philosoph. Trans. Abridgment. Tom. III.*

(c) Vid. *Ephem. Acad. Nat. Curios. Cent. I. an. 1712.*

(d) Aneurysmatis in quadragenario Viro a DD. Tronchin, & Van-Leent obseruati historiam refert Wilhelmus Noortwyk, qui cadaveris dissectioni interfuit, antè obitum deducti ex tumore dorsi synchronam cum pulsu carpi habente pulsationem, in quo tam ampla evaserat aorta, ut in vesicae urinariae inflatae amplitudinem intra Thoracem assurget, atque ex arcu aortæ ad usque diaphragma protenderetur. Hanc praemittit observationem in Praefatione ad latinam versionem Nihellii editam Amstelodami 1746, & recusam Parisiis, & Venetiis 1748., cuius est Anglicus titulus: *New and extraordinary observations concerning the pulse made by D. Franc. Solano de Luque, illustrated with new cases, and remarks by James Nibell M. D. London 1741.*

(e) *Observ. I., l. 9. Ulmae 1628.*

(f) Vid. *Of the Philosoph. Trans. Abridgment. Tom. IV.*

(g) *Observ. 37., 38. Amstelodam. 1691.*

duum videatur. Quae autem de hac aegritudine vocantur haudquaquam nescius ego sum, utrum ex causis nimium proximis deriventur. Arbitror equidem, perraro Aneurysmata illico patefieri cum incooperint, cum ea, quae in virilitate observantur, in adolescencia, vel infantia ipsa exorta ut plurimum fuisse contendam. Atque ut in his rerum ambagibus aliquid exinde lucis emergat, prava puerorum nutritio vel ex incuria parentum, vel ex divitiarum defectu proveniens sedulo videtur examini subiicienda, simulque affectus quidam ipsis communes, planèque neglecti perpendendi occurunt in iis praecipue, quibus angusta domi res est, quam saepissimè recurrentes.

### §. XXVIII.

#### *Puerorum Aneurysmata.*

**P**uerorum corpora tenerrima, & gracilia esse, fibrisque facile cedentibus coagmentari, ex necessario eorumdem incremento consequitur (a). Dupl  
citer

(a) Haec ipsa gracilis, quae Aneurysmaticis praecordiorum morbis excitandis conferre potest. non modo pueris noxia esse videtur, sed foetibus etiam in lucem nondum editis: Saepissimè enim Aneurysmata in nonnullis reperta sunt in aliqua cordis auricula ut plurimum collocata. Contra vero violentae cordis contractiones, quibus maxima arteriarum opponitur resistentia, huiuscmodi morbum aliquando producunt, qui frequenter auriculas ipsas adoritur: *Une maladie assez fréquente du fetus ( sunt Hallerii verba ) c'est l' Aneurysme de l' oreillette que le sang retenu dilate & rend immobile. Ne seroit ce pas l'effet des violentes contractions du cœur*

citer profecto augmentur, si solidorum, fibrarumve  
nervarum, sive fluidorum, quae per omnem corpo-  
ris ambitum disperguntur, contemplemur operatio-  
nes: Ut namque solida protendantur, partibus quae  
in contactum arctissime nitantur, neque distractione re-  
nitantur, coalescere minimè debent, alioquin sive non  
protendentur, sive nisus, quo in contactum nituntur,  
vi maxima supererit subigendus. Adhaec si pars,  
quae protensa extiterat, ita persistat, aliquod divisas  
partes subeat corpus necesse est, easque ita. se iunctas  
detineat a contactibus, ne iterum distractae partes in  
contactus sibi proprios commigrent. Fluidorum insu-  
per incrementum tale esse debet, ut nutriatur corpus,  
& augescat, non vero adeo validè premantur ipsius  
canales, ut ex fluido, quod illuc extruditur, nimis  
fortiter distrahantur, atque dissipant. Nil igitur mirum  
si quascumque puerorum corpora suscipiant impressio-  
nes, facileque tententur morbis, qui nisi optima vi-  
tus ratio accesserit potius exacerbantur, quam me-  
deri eos possimus. Invaluit profecto in multis Italiae  
urbibus mos, ut nempè puerorum lactatio paucos  
menses attingeret, atque plurimas ex tali abusu exo-  
siri pravissimas affectiones certum est, quibus ne il-  
iae, quae praecordia torquent, accensendae non sint  
aliquantulum pertimesco. Dolendum itaque, non mo-  
do cibos, quibus adulti vescuntur, iisdem exhiberi,  
sed illos quoquè, qui adultis ipsis olim noxii esse  
consueverunt. Quomodo igitur machinulae illae te-  
niores detrimentis vacabunt, quae illis imminent,

in-

œur, aux quelles les artères opposeroient trop de résistance ?  
Vid. Mémoire sur la form. du cœur &c. Mem. II. sect. 13.  
pag. 195. à Lausanne 1758.

indèque obvenientes morbos arcebunt? Quum autem multiplices ex huiuscemodi fonte dimanent morbi, ecquis praecordia immunia fore praedicabit? Minimè alienum a veritate videtur supponere, inter quam plurimas puerorum lues, quae ex ingestorum abusu profiscuntur, praecordiorum affectus esse computandos ex iis quoquè morbis enatos, quibus aetas illa torquetur: Pueri namque contumaci nonnunquam tentantur Epilepsia, quam tamen in iis saepius usu venire deprehensum est, qui delicatioribus epulis proprio temperamento exactissimè respondentibus minimè saturantur. Humores interea, qui mesenterium, & alia abdominis viscera pervadunt, si crassiores evaserint, obstructiones producent, ex quibus interna profluere non raro solent Aneurysmata (§. XLV. XLVII.), cum una simul uterque morbus ut plurimum coniungatur.

## §. XXIX.

### *Ciborum noxa.*

**I**Taque decerni posse videtur, non omnes cibos omnibus sive sanis, sive aegrotantibus, maximè vero pueris convenire: Iis etenim ex Hippocrate (*a*) humidus victus satius convenit. Quare habita aetatis ratione cibi facillime digerendi, & nutriendo, firmandoque corpori accommodati adhibendi sunt, ut optimam pueri nancisci queant haematosim, & exinde

(*a*) Αἱ υγραι δίαιται, πᾶσι τοῖς πυρεταίνυσι ξυμφέρεσι: μάλιστα δὲ παιδίοισι, καὶ τοῖσι ἀλλοισι, τοῖς οὖτε εἰδισμένοισι διαιτῶσι. ΗΠΠΟΚΡ. Τμῆμ. πρ., ἀφρ. 15.

dè prefluat non interrupta sanguificatio. Secus vero Epilepsiae, & molestissimae expectandae tuffes, aliae-  
vae ne observatae quidem affectiones pertimescendae.  
Adimadvertere nonnunquam mihi contigit, facilius  
Epilepsia tentari rusticos pueros, quam urbanos, id-  
que ex pravo ciborum delectu deducendum videtur,  
quandoquidem iis familiaris est morbus dum acre pri-  
mas pervadit vias, ceu adnotavit Van Swieten (a).  
Talis quippè acredo nonnisi ex prava ciborum obo-  
ritur qualitate. Et sanè allia, caepas, & immaturos  
fructus, nec non glutinosa, & dura omnia, quibus  
vescuntur, indiscriminatim absorberi a sanguine, in  
quā commutantur, perspectum est (§. XIII.). Nil  
igitur mirum, si consequatur Epilepsia, siquidem  
morbus iste ex acribus saepissimè materiis in stoma-  
cho latentibus, & fibras irritantibus oritur, veluti  
docent observationes. Quum autem inordinati ex  
huiusmodi afftione subsequantur corporis motus (b),  
ecquis aegritudines alias non expectabit? Puerorum  
pulsus frequentior quam in adultis observatur, &  
non raro febrem simulat, quae non adeit. Vasa fle-  
ctuntur facile, multumque sanguinis excipiunt; &  
quemadmodum cor, utpote angustum, iisdem replen-  
dis vasis impar videtur, ita ex frequentibus pulsationibus  
quidquid deficit compensatur (c). Quod si  
naturalibus hisce, frequentioribusque pulsationibus  
inordinatus addatur motus ex Epilepsia proveniens,  
haud

(a) *Comment. ad Aphor. Boerhaav. Text. 1077. Lugdun. Brat. 1753.*

(b) Costarum elevationem ex validissimis Epilepticorum sub-  
ortam motibus observavit *Malpighius Consult. Medic. Cent.*  
*I. conf. 8. pag. 23. ex Hier. Gasp. Patavii 1713.*

(c) Vid. *Hales Animal Statiks*, §. 75. *London. 1733.*

haud video, quomodo arteriarum invclucra non multum firma nequeant alterationem quamdam subire. Si igitur ante pubertatem quatiatur saepissimè corpus, contractos persentiet morbos cum adoleverit, &c, uti quandoquè fit, dum effaetum senectute corpus macrascit, & post ipsum interitum cognoscetur, illo in corpore iamdudum praeeexistens vitium aliquod latuisse.

### §. XXX.

#### *Arteriarum ossificatio.*

**A**rteriarum mutationes reliquis corporum vicibus respondent, quandoquidem tenuissimis coagmentantur eadem filamentis in embryone, quae crassula evadunt in pueritia, firmiora post pubertatem fiunt, & cartilagineam nonnumquam induunt in virilitate naturam, ex qua ad ossificationes quoquè fit transitus in senectute, veluti mihi quondam animadvertere contigit in sectione cadaveris viri cuiusdam peragenda, qui cum ex immanni morbo, quo correptus antea fuerat, sanus evasisset, dum adhuc convalesceret, inopinato morbo correptus Hippocratica adveniente facie mortales reliquit exuvias: Invasit itaque libido animum intropisciendi cadaver, cumque viscera, & reliquae partes anatomico subiectae cultro sospites essent adinventae, vixque obitus origo perscrutanda contingere quemadmodum etiam in dissendo Foeminae cuiusdam Pisanae cadavere nuper observatum est, ossificatio tandem aliquando in externa carotide reperta fuit, quae arteriosum canalem impervium reddiderat. Nequè novum, & inauditum

autumare lubet quod repetitae comprobarunt observationes, vasa nempè sanguinea prioris generis, ne corde quidem excepto (a), osseam persaepe naturam induere, non secus ac in cervis, qui multum ex cursu defatigantur, crebro suspicitur, quodque Medici Arabes ad longaevitatem laudaverunt. Quidni Albertum ab Haller (b) minimè reticendum putaverim, qui universum aortae tractum contemplatus est mirificè squamis ossis variegatum? Huiuscmodi demonstrant immutationes, quomodo ea, quae in infantia obvenierunt Aneurysmata, diu multumque perseverent absqùe notabili humanae machinae detrimento. Ac profecto posita in pueris Aneurysmatis origine sive ex Epilepsia, sive aliis de causis infra producendis exorta, iam vix ac ne vix quidem perceptibilis tunc aderit dilatatio, quae cum primis circa praecordia versetur, cum illic vis maior audiat propter viciniorum cordis situm, ex quo maior exinde motus adiacentibus vasis communicatur: Reliqua etenim caeterarum partium a corde remotarum Aneurysmata causam ut se prodant videntur ex gere validiorem. At vero adducta conservabitur dilatatio usqùe dum insigne aliquod in sex non naturalibus rebus erratum eamdem se manifestare compulerit. Quamobrem si

(a) In corde Urbani VIII. P. M. ossis fractum repertum est. Vid. *Diss. Univ. de Trev. Tom. I. pag. 1893.* A Trevoix 1721. Neque tendines, membranas, cartilagines, & ligamenta ab ossificatione liberari ex observatis eruitur.

(b) *Adn. 2. ad Praelect. Boerhaav. Text. 184. Lugdun. Batav. 1740.* Sed Auctor ipse ossium quoque ipsorum efformationem ab ipsa defumit causa, a qua efformatio dependet, & augmentum aliarum corporis partium, ab impulsione nimirum cordis, quae praecipue in arteriis agit. Vid. *Haller Memoire sur la form. des os. sect. VIII. n. 2. pag. 262.* A Lausanne 1758.

minimè interveniente causa , ex qua dilatationem adesse cognoscatur, ad plures annos Aneurysma persistet , maior spes aderit cum vasa firmiora sensim evaserint, illud idem absque seavitie syntomatum perseveraturum .

### §. XXXI.

#### *Foetuum nondum natorum incommoda.*

**H**AUDQUAquam nescius ego sum , quam plurimas in foetibus nondum enixis mutationes fieri , sed omnes latet , utrum in praecordiis mutatio aliqua obvenire possit dum embryones in utero materno latitant , ex qua suspicari datum sit , partes illas ad Aneurysmata suscipiendum disponi . Veruntamen longè nimis morbi huius origo deduceretur , si ea , quae in utero materno fiunt explorari valerent , nisi natura ipsa culpari velit , utpote quae organica praecordiorum vitia dum foetus efformaretur effecerit , & genuinum partibus adhuc latentibus talium morborum characterem imprescerit , quod adhuc incertum videtur nisi ex observationibus pateficeret . Attamen nil affirmare prohibet , haec organica vitia in iis facilius apparere , qui non modo debilem in ipso lucis limine fibram sortiti fuerint , sed in illis quoquè qui dum in utero formarentur laxitudinem quamdam in universo corpore subierint . Illud profecto contingere non raro solet , maternos reticendo conatus , ut maritalibus leporibus fruantur foeminae quando prolem in utero baiulant . Apparet itaque , alterationem quamdam non exigui momenti tenellum embryonem , etsi in chorio , & amnio detentum subire , si praesertim plures ictus mater absorbeat dum ambo parentes amatorio perculsi

culti pathemate in palaestra decertant aphrodisiaca: Exaestuant quippe in orgasmo partes, & intumescent, aliaeque repentinae mutationes adveniunt. Quamobrem pueros, qui in exortu ipso Rachitidem nacti sunt, coniectandum est, hanc aegritudinem ex immodico parentum concubitu ipsis adhuc in utero permanentibus acquisivisse. Ipsa Venera lues, quae comitatur aliquando nascentes, aliisque exitiales morbi, qui in utero contrahuntur, foetum enervant. Cuncta humani corporis vasa ideo sensim, & in ipso embryone crassescunt, propterea quod ex fluidorum, quae in ipsis reperiuntur, motu annulares vasorum fibrae protenduntur: At quacumque posita vehementi concussione fluidorum motus adaugetur: Fluida igitur maiori agent momento, & vasorum superabunt facile resistentiam. Quum autem tenuissima extensio in embryone vascula, aliqua repente fiet dilatatio, quae tractu temporis aucta tandem aliquando innotescet. Qua propter si debilibus arteriae tunicis coaluerint in iis, qui liberos generunt, evenire poterit, ut foetus ipsi eadem praediti nascantur vasorum textura, adeoque haereditario, ut ita dicam, conflictentur Aneurysmate vel mediate, vel immediate a parentibus ipsis in eosdem traducto, veluti se observasse testatur Lancisius (*a*), qui Aneurysmatis re ipsa haereditarii historiam diserte commemorat. Insuper innata in pueris cardiacorum Aneurysmatum semina nonnumquam delituisse desumptis ab incisione cadaverum observationibus deprehenditur, cum in his non modo cor maximum, sed infirma cordis textura

(*a*) *De Mot. Cord., & Aneurysm. I. II., cap. I., Prop. 22.*  
Lugdun. Batav. 1740.

dignoscatur, velut expertus est laudatus ipse Lancisius (a). Caeterum & ex ipsis generationis primordiis huiusmodi traduci labem tum concludendum est, cum nempè venae cavae radix, auricula, ac dexter cordis ventriculus languidiori fibrarum nexu coalescunt, sinistris interim cavorum cordis parietibus multo validioribus apparentibus: Tunc quippè adolescente sensim praecordiorum mole dextrorum amplitudinem cavorum plus aequo latiore evasuram leves ob causas patefit. Verum enim vero ne insudare nimis videar in demonstrando, Aneurysmaticos praecordiorum affectus haereditarios esse consueisse, sufficiat decernere, tum haereditarias adesse posse dispositiones cum parentes debili fibra coaluerunt; & quemadmodum fortis creantur fortibus, ita ex debilibus parentibus ambigendum est debiles natos prodire posse.

## §. XXXII.

(a) Ita in puerorum cadaveribus, nec non in satulis, ac vervecibus aliquando spectavimus eorum corda, in altera auricularum, vel (ut frequentius) sinistro in ventriculo locum quemdam, ac veluti foramen perlucidum, quod externa, internaque tantum membrana ne omnino debisceret, impeditiebat. Neque dubitandum, quin, si eadem corpora adoleverint, inter illa facile adnumeranda essent, quae repentina interitu ob apertum ex tempore cordis foramen concidunt, cuius profecto mortis genus & alii saepè & nos crebro etiam vidi mus. De Mot. Cord, & Aneurysm. l. I. cap. 2., Prop. 38. Lugdun. Batav. 1740.

## §. XXXII.

### *Puerorum aegritudines nonnullae.*

**E**DITUS IN LUCEM FOETUS CLAMITAT, INGEMISCIT, ILLACRYMATUR, PLORANDOQUE NIMIUM, & ULULANDO TELLUM CALET CORPUSCULUM, QUATITUR, & INFIRMATUR. CELERIOR INTEREA SANGUINIS EVADIT CIRCUITUS, CUM EX ASSIDUA VOCIS EXERCITATIONE UNIVERSA SANGUINIS QUANTITAS MAGNIS MOTIBUS CONCITETUR. UNDE POTIORI IURE EX EA, QUAM GRAECI DICUNT ἀναφοίνησιν, ANIMAM MOVERI PERHIBEBANT VETERES MEDICI, CUIUS NOMINE SANGUINEM INTELLEXERANT, EO QUOD ANIMAEE SEDEM IN ILLO PHILOSOPHI ILLIS TEMPORIBUS COLLOCARENT. SI ITAQVE EX FREQUENTI PLORATU QUATIATUR ASSIDUE CORPUS, CONCLUDENDUM EST, EORUM, QUI DEBILIOREM NACTI SUNT CORPORIS HABITUM DUM VITAE LIMEN ATTINGERENT, DILATARI SENSI ARTERIAS POSSE, ATQUE AD VERUM SUSCIPIENDUM ANEURYSMA DISPOSSI. QUapropter IMPROBANDI SUNT QUI FLETUM IN TENERIS INFANTIBUS FOVENT POTIUS QUAM PLANEE COERGEANT, PERINDE AC EMOLUMENTUM ALIQUOD FORET EXPECTANDUM. DUNI ULULAT PUER INSIGNIS AMPLITUDO GLOTTIDIS INTERNO-SCITUR, Quae CUMILLA, QUAM ADULTI QUIQUE HOMINES OBTINENT, RITE CONFUNDITUR. ILLUD IDCIRCO DEDUCITUR, AUCTAM NIMIRUM MAXIMOPERÈ FUISSE MUSCULORUM ACTI-  
ONEM, & IPSIUS QUOQUE CORDIS, QOD INTER MUSCULOS RECESSETUR. NON EQUIDEM INFICIOR, QUOS DAM NATURAE CONATUS PERUTILES EXITISSE, EOSQUE MAGNOPERÈ VITU-  
PERANDOS, QUI PRISCIS TEMPORIBUS PLORATUM INGEMISCEN-  
TIBUS PUESTRIS LEGE VETUERANT; SED EX ADVERSO NON VI-  
DEO, QUA PERMOTUS RATIO NE NIMIUM LAUDAVERIT ARISTO-

te-

teles (a). Porro non modo ululatus una cum gemitu copulatur, ex quo detrimenta non pauca consequuntur, sed singultus advenit molestissimus, in quo non diaphragmatis duntaxat convulsio, uti veteres crediderunt, spectanda est, sed longitudinalium fibrarum oesophagi contractiones animadvertendae, ex quibus praecordia torquentur. His additur quoquè cantus pueris familiarissimus, qui si modum excederit, uti non raro fit, poterit affectiones adductas in tenellis illorum corporibus excitare: Dum namquè perardua queque non modo pangere, sed elata vota fundere delectantur, graves sibi morbos accersunt non tam facile discutiendos. Tenera insuper aetas illa plaudere quae sensus alliciunt persaepè solet, adeo ut si clangentes choraules, tibicines, vel alios quoslibet audiverint, ad ravim clamorem nū & ipsi idem peragere possint, quod tamen assidue, si libuerit, persequuntur, cum facile supra caeteros dulcioribus instrumentorum modulis deliniantur.

### §. XXXIII.

#### *Prava puerilium corporum administratio.*

**E**DUCATIO neglecta, & male pertractata, uti apud imperiti, & ignobilis vulgus affectas considerari

I po-

(a) Ταὶ δὲ διατάσσεις τῶν πα'δων, καὶ κλαυθμούς, οὐκ ὄρθως ἀπαγορευνόσιν οἱ καλύπτοντε ἐν τοῖς νόμοις. συμφέρουσι γάρ πρὸς αὑτούς, γίνεται γάρ τροπον τινὰ γυμνασία τοῖς σώμασιν, οὐ γάρ τοῦ πνεύματος κάθεξις, ποιεῖ την ισχὺν τοῖς πονοῦσιν, ο συμβαίνει, καὶ τοῖς παιδίσις διατελομένοις. ΑΡΙΣΤ. πόλιτικ. κεφαλή.

poteſt, nec non abuſus quidam, qui etiam in cultioribus Uribib⁹ irrepferunt, permulta in infantum praecordiis afferunt detrimenta: Mulierculae etenim nullum aliud expectandum eſſe arbitrantur remedium, ut pueros ſeu nimiae laetitiae, ſeu fletibus oppreſſos in officio contineant, quam ut eos ſpectris, & falſis idolis, rerumque terrorem incutientium imaginib⁹ perpetim terrefacient, adeo ut quam faepiſſimè immoderata laetitia cum repentina moerore configat dum refractariam nimium aetatem coercere contendunt. Simulant proindè lemures iratos, horrenda ſpectra, minaces furias, informes lanias, exitjalia monſtra, cerberum triſaucem, & indomita cuiuscumque generis animantia, quae pueros repente adoriantur. Ex quo fit, ut falſis illis decepti imaginib⁹ inſolita formidine terreantur, & maximoperè perturbentur. Ignoratur ſanè, utrum maius animo detrimen tum ex corpore, quam corpori ex animo accedat; verum id experientia conſtat, tenera illa corpuscula ad quascumque ſuſcipiendas imprefſiones eſſe multum accommo data. Quum autem adultos quoſque homines ex infausto aliquo iſpis allato nuncio ita exagitari appa reat, ut moleſtas, & intempeſtivas ſubeant convulſiones, adeo ut Epileptici decumbere videantur, & vehementi febre diſcruentur, tanto magis id obvenire infantibus debet, quinimmo ſatis ſuperque animadvertitur, iſpos convulſionibus laceſſitos diu multumque in tali rerum ſtatu perseverare. Quod ſi in adultis hominibus repentin⁹ metus ex ſpecie terrifica ſuborti adeo corpus afficiunt, ut cordis palpitationes, temporum pulsationes, & concuſſiones inordinatae universi corporis confequantur, quidnam in infantibus evenire poſſe putandum eſt, qui ſunt veluti mollis cera,

cera, in qua facile quidvis impresseris? Dolendum sanè, impuberibus filiis una cum imperitis, imbellibusque mulierculis vitam esse ut plurimum transigendam, cum ipsae non modo ad optima praebenda consilia ineptae esse soleant, sed callidae haud raro malorum evadant artifices. Quorumcumque insuper custodum aspectus ad iram compositus fit, pueris molestus, & iniucundus: Dum namquè eos impetere verberibus minitantur, ac simulatam quandoque iracundiam praesferunt, corpus insolito pallore perfunditur, genae rubescunt, ipsique meticulosi haerent, & semianimes contremiscunt; id quod concitatiorem in corpore circulationis motum evasisse suadet. Hinc non abs re liberalitatem pro metu arripiendam, ipsaque pueros satius esse corrigendos perspectum fit. Postremo curcta, quae noxia admodum extare creduntur, motumque cordis augere, arteriosa flaccescere vaia compellunt, ipsaque ad verum Aneurysma disponunt propter immutam earumdem resistentiam. Quod si haec eadem resistentia ex adverso adsit, multumque agat, & in ipsa substantia sanguinis locum habeat, idem semper consequetur effectus: Fluida enim non moventur, ut ex Hydraulicis legibus comprobatur, in resistenti medio, nisi vires, sive prementia pondera medii resistentiam exluperent; sin vero illorum augeatur velocitas, auctae tunc vires sunt in proportione maiori resistentiarum. Si vero hisce omnibus aetas addatur sufficiendorum pathematum haud incapax, quae sollicita nimis advenit, tunc nondum firmato corpori quam plurima afferuntur detrimenta, ceu tandem in ipsis hominibus consistentem aetatem nactis, atque firmiori corpore gaudentibus internoscitur.

## §. XXXIV.

*Animi perturbationes.*

**A**NIMUM ex contagione corporis laborare, nihil que angere frequentius homines experientia rerum magistra nos edocet, quam animi pathemata, quibuscum perpetuum intercedit foedus nusquam propemodum coercendum: Excandescit quippe homo, & in furorem adigitur, moerore torquetur, corripitur zelotypia, lacrymas fundit, in ultionem exaextuat, permulcetur gaudio, pudore suffunditur, amat, odit, tristatur (*a*) & modo haec, modo illa praefert pathematum plus minusve ingravascentium phoenomena in foeminis praesertim conspicua, quae cuncta si modum excesserint corporis perturbant oeconomiam. Per amplum profecto in quibuslibet, qui immodicis huiuscē generis affectionibus lacerfuntur, ē quorum centu ipsos excipiendos non esse pueros utique comprobatur, unicuique observare fas est mutationum numerum, inter quas cordis, & arteriarum motus saepissimē concitatiō peculiares extorquet observationes. Ecquis igitur ex iteratis huiuscemodi motibus praecordiorum Aneurysmata in iis, qui debili donantur structura corporis, interdum subsequi posse inficias ibit? Respirationis organa molestiam subeunt neutiquam contemnendam, tuncque cordis actio, tacitaque retegitur eiusdem potestas. Ipsi met probē  
no-

(a) Talis nonnumquam est observata tristitiae vis, ut polyposas concretiones produixerit, quemadmodum animadvertis Lovverus De Cord. cap. 2. p. 145. Londini 1669. Vid. Berger De Polyp. Vittembergae 1689.

noverunt Metaphysici, quantitatem impressi in corpore motus actioni pathematum respondere, simulque exploratum est, eadem in cerebro, ubi hospitatur mens, atque nervis omnibus excitari. Dum itaque vehementi quispiam percellitur pathemate si talia forinsecus praebeat irrequieti animi argumenta, ut a quolibet eundem aspiciente praenosci possit valido illum pathemate perturbari, non erit absurdum arbitrari, ex affectione nimirum nervosi systematis reliquas corporis partes noxam aliquam persensisse. Quemadmodum autem maiores, atque multiplices nervorum rami ea pervadunt loca, quae sanguineni ex corde excipiunt, maior illuc impulsus fiet, & alterni cordis, & arteriarum motus vehementiores evadent, cum ipsi soleant esse suapte natura concitatores: Contractionum namque cordis velocitas radici quadratae virium, quae in illo contrahendo exercentur, proportionatur, pariterque libero sanguinis in venas ingressui respondet. Percipitur itaque, quomodo ex huiuscmodi motibus oriri quandoque possit praecordiorum Aneurylma: Quinimmo & cor ipsum ex frequenti, & diurna palpitatione ex aliquo sive bono, sive pravo suborta pathemate Aneurysma subire posse, ex quo maximoperè amplificetur, concludendum videtur, quandoquidem id evenisse D. Phillipo Nerio comperimus, quem Aneurysmati, quod nobis cardiacum nuncupari placuit, succubuisse automat Caesalpinus (*a*), eo quod quam saepissime in palpitationem cordis incidisset ex vehementi, atque frequenti ecstasi manantem: Sicuti enim cor muscularis est, & ipsum convulsionibus lacerbitur, eiusque vis

non

(*a*) Catopt. I. VI. cap. 20. Romae 1602.

non modo quantitati spirituum animalium, sed illorem quoque velocitati respondet, patet, huiusce organi vim tum crescere admodum debere cum valido quocumque incipiente pathemate illorum motus evadit vehementior.

### §. XXXV.

#### *Sanguinis concretiones.*

**Q**uod vero praetermittendum non videtur illud est, quod nempè diversae sanguinis concretiones in iis facilias fiunt, qui aliquo afficiuntur animi pathemate, non secus ac in reliquis aegrotantibus. Et sanè quaecumque supponi velit huiusce phoenomeni causa, ex metu vita functos legimus fuisse observatos (a), quorum interna cordis vasa concreto redundantia sanguine reperta sunt, quin & polypos ipsos in melancholicis repertos novimus; neque haud infrequenti comprobatur inquisitione, eos, qui modo laetitiae, modo moeroris imperio premuntur, praecordiorum affectionibus succubuisse; id quod & in ipsis usuvenire pueris animadvertisit, cum & ipse propriis, et si remissius agentibus, haud vacent pathematum insultibus ex ipso præsertim Hypocondriaci affectus fonte saepè saepius manantibus. Horum proindè sunt, qui ablegatis quibusque mentis relaxationibus insueto suffusi metu privatos inter parietes commorari conantur, quique modo laetitia, modo

(a) Vid. Bartholin. Cent. IV. Observ. 76. Hafniæ 1657. & Alpin. De præf. vit. & mort. aegrot. l. I. cap. II. Lugdun. Batav. 1710.

moerore perculsi repentinis subeunt motus, falsisque ut plurimum ludentes imaginibus irrequietis languoribus fatigantur. Quoniam vero tristantur frequenter pueri, pariterque pro data qualibet occasione moerorem laetus animus excipit, hinc ex hisce subortis mutationibus una cum innato pathematum semine consociatis quassationes praecordiorum profiscantur oportet: Quemadmodum enim agile corpus in pueris extat, ita commotione corporis vehementi animus perturbatur, quasi lumen, quod ventis agitatum minus clarè vicina collustrat. Si igitur innatis pathematum seminibus in puerorum corpore locatis ea, quae nonnumquam adveniunt, subinde lustrentur, haec una simul copulata in ipsa iuventute vim exercebunt validissimam, cui si dispositio aliqua superstruatur, dissimilia praecordiorum incomoda consequentur, quae tum temporis maximè emergere consuevit comperitum est.

### §. XXXVI.

#### *Tusses convulsivae.*

**V**eruntamen alia praenoscenda occurunt, quae pueritiae statum adoriuntur, tenellumque corpusculum ad Aneurysma praecordiorum suscipiendum disponunt, inter quae non postremum obtinere videntur locum convulsivae quaedam neglectae tusses, è quibus per amplius morborum numerus profluit praecordiorum fines raro admodum praetergrediens. Quis igitur sanae mentis convulsivas puerorum tusses omnino neglectas Aneurysmata praecordiorum produce-

re posse non arbitrabitur? Has etiam, nisi mea me fallit opinio, probè nescendas esse, earumque examinandum effectum censeo: Sunt enim quandoquè adeo vehementes, ut ex ipsis peremptos fuisse pueros accipiamus. Ex maiori, eaque valida pulmonum actione arteriosi, & venosi sanguinis motus augetur, & talem multiplicatam actionem a convulsiva tussi pendere consueisse nullus ambigendi locus est, eo quod maxima in thorace concussio deprehendatur. Tussiat puer, atque sensim tussis exacerbetur usquè dum illius causa persistit, maximus illico rubor faciei oborietur, oculi è propria veluti sede dimoveri videbuntur anxietas aderit, praegressaque tussi Cephalalgia non raro, anhelitus, cordis palpitatio, nec non reliqua supererunt convulsivae tussis symptomata, quae de concitatori sanguinis circulatione rudes quoquè homines commonefaciunt. Nonnè arteriarum involucra in pueris teneriora maximum subibunt ex impellente sanguine ictum, & modo debiliori, modo fortiori succumbent Aneurysmati? Huiusmodi tamen res evidens videtur esse, ita ut minimè ratiocinationes eludat. At ne quis succenseat mihi, pueros utpotè tussis non expertes debere omnes Aneurysmatica affectione tentari, varias nescendas occurrere circumstantias reponam: Vel enim arteriae vitium non adest, vel protinus non manifestatur, cum nonnumquam ne extitisse quidem dubitet quispiam quando revera efformatum est (§. LV.). Ego equidem non inficiar, non omnes eadem arteriarum firmitate pollere, cum modo firmiora, modo tenuiora humani corporis vasa ab ipso exortu pueri fortiantur, quae quidem firmitas, atque tenuitas una cum aliis eventibus consociata si vim, quae ex tussi emergit, retundere valeat, atque subigere,

gere, iam Aneurysma evitabitur; secus vero his seclusis continget. Sed opus non est, ut confessim appareat, & toto vitae curriculo praenoscat, cum aliquid aliud necessarium sit, ut incopta haec affectio patefiat, veluti demonstrabitur. Haec tamen assumptum non adstruunt, cum ii secludantur casus, in quibus fieri nequit, ut ea, quae monuimus usuveniant: Sunt namque pueri, qui sive ex ea, quam nacti sunt, corporis dispositione, sive parentum solicitudine tussibus non tentantur, vel si tentantur, hae selectioribus remediis arcentur. Aetas postremo attendenda praesertim est, cum ea quo magis ab exortu distat, eo rem soleat inhibere.

### §. XXXVII.

#### *Auctae cordis vires.*

**A**dnotatum est a viris in Medicina praestantissimis, circa exitum tertii septenarii vires cordis non amplius crescere, quod in eo temporis tractu, qui inter exortum, & finem eiusdem septenarii intercedit, nequaquam contingit: Tunc enim maior est vis cordis, ut ex celeriori puerorum pulsu dignoscitur, qui febrem simulare videtur (§. xxix.), etsi vis cordis talem vincat renisum, qui multum ponderis adaequat. Hic tamen obiter monendum, non adeo certum esse, quod de vi cordis, eiusque renisu vocatur a Medicis, ut analytico theoremate demonstratum sit, quaenam vera sit vis, quae in quolibet exerenda corpore necessario videatur adhoc ut animalis servetur oeconomia, cum non omnia hominum corpo-

K ra

ra eadem fibrarum polleant firmitatem. Quod vero minimum videtur illud est, quod nempè Medico-Mathematici non modo in assignanda cordis vi minime inter se convenient, quinimmo magnum inter illos observetur discrimen (a). Non tamen id ex calculorum defectu deducendum est, quandoquidem animadventendum occurrit, integrum horum nonnullos vim cordis inquirere, alios vero apparentem, quae nil sane aliud est, quam exigua totius integræ portio, veluti ex principiis, quibus innituntur demonstrationes, eruitur. Quod autem in statu valetudinario considerandum superest id profecto est quod nimirum talis adducta in corde laxitas aliquando suboriatur, ex qua Paralysis, exindeque Syncope fiat, quae tum perniciösior evadit, cum ex obstruktione, seu erosione vasorum proficiatur, quodque non modo ex dolore circa praecordia, verum ex anhelitu, atque animi deliquio dignoscitur. Itaque vivendi ratio perpendenda foret, cunctaeque prænoscendæ circumstantiae, quae favere pueris observantur, ut accuratum motus cordis discrimen eliceretur: Sed nostris hisce temporibus, quibus parum, aut nihil in puerorum regimine invigilant caeteris paribus illi, quorum custodiae fuere commissi, plus considerandæ supersunt pravae corporis dispositiones teneriori machinae superstructæ, quam reliquæ humano corpori salutares. Patet ergo necessitas quaedam arcendi

(a) Huius discriminis causa dependere potest a diversitate irritabilitatis, quam esse ultro admittendam experimenta demonstrant in animalibus instituta: Certum namque videtur cor a sanguine ventriculorum stimulari, quemadmodum elapsò seculo suspicatus est Bohnius *Oeconom. corp. animal. Progym. VI.* pag. 105. Lipsiae 1686. & novissimè observationibus comprobatum esse perspectum est.

di convulsivas tusses a pueris, atque id omne semoven-  
di, quod ad concitatiorem cordis, & arteriarum actio-  
nem reddendam aptum censetur, ne assidue urgendo  
arteriosa sensim vasa labefactentur, & ad quamcum-  
que recipiendam impressionem disponantur. Denique  
ex his omnibus illud confequitur, quod etsi unus, aut  
alter ex infantum erroribus ad Aneurysmata produ-  
cenda non sufficiat, plurimorum tamen congeries idi-  
psum praestare valet, quodque novum fortasse fre-  
quentissimae aegritudinis exhibit argumentum, ex  
quo ad alia generaliora gradum facimus.

## P A R S   S E C U N D A

## §. XXXVIII.

*Tempestatum varietas.*

Is autem cursim raptimque per-scrutatis, quae teneram praeci-pue infantum aetatem ad vitia praecordiorum suscipienda pos-sunt disponere, aliqua sunt affe-renda, quae infantibus ipsis una cum adultis communia sunt, atque in illis viam sternunt ad aegritu-dines adductae indolis producendas, in his vero si morbi primordia latuerint in apertam lucem collocandas, & nonnumquam sponte sua inferendas, quae benè perspecta cunctis aequè prodesse possunt, atque ne-glecta aequè detrimentum allatura credendum est. Im-mutatorum itaq; temporum examini insistendum oc-currit, ut iis, qui ex assiduis mutationibus panduntur, morbis constitutis, praecordiorum affectiones, quae ex ipsis deduci consueverunt, si libuerit innotescant. Atque ut firmius innitantur observationes, Etruscum con templari coelum decrevimus. Hoc profecto, ubi vita sospes degitur, relatè ad alia Italiae loca caete-roquin saluberrimum, quibusdam tamen gravibus & ipsum morbis, ut & regiones reliquae, succumber-

ho-

homines cogit, prout vices nonnumquam advenientes expolitulant. Si quis tamen endemius statuendus est morbus, hic in locis palustribus, & humilibus comprehenditur, ceu inferius ostendetur (§. XLV.). Omnes profecto probè neverunt, coeli mutationes diversis anni temporibus recurrentes saepè noxias evadere, raro tamen proficias si magnae caloris, & frigoris repente mutationes advenerint, quod & ipse iamdudum agnovit Hippocrates (a). In Etruria vero non adeo variare solent, ut unoquolibet anno novus semper ex adveniente huiuscmodi varietate expectandus sit epidemicus morbus, qui dominetur, atque dissimilis, & nova febris, veluti usuvenire arbitratus est Sydenha- mius (b), qui novum semper grassantem morbum expectandum esse afferuit, qui quaslibet regiones adoriretur, & quodcumque anni tempus invaderet. Illae autem, quae in Etruria nostra patefiunt affectiones, perraro aliam agnoscere solent peculiarem mutationem praeter excessum caloris, & frigoris, ceu elapsis retro saeculis fuit ab accuratis observatoribus adnotatum, quos inter praetermittendus haudquaquam videtur Marcellus Virgilius (c), qui dum vitam Florentiac

du-

(a) Αἱ μεταβολαι τῶν ὡρέων μάλιστα τίκτεσι νοσήματα, καὶ ἐν τῷσιν ὠηγσιν αἱ μεγάλαι μεταβολαι ἦ τύξιος, ἥ θαλψίος, καὶ τὸ ἀλλακτα λόγον οὐτως. ΙΠΠΟΚΡ ἀφορ τμῆμ. τρ. δ.

(b) Nihil quicquam opinor, animum universae qua patet Medicinæ pomeria perlustrantem tanta admiratione percellet, quam discolor illa, & sui planè dissimilis morborum Epidemicorum facies non tam qua varias eiusdem anni tempestates, quam qua discrepantes diversorum ab invicem annorum constitutiones referunt, ab iisque dependent. Obs. circ. morb. acut. cap. 2. Genevae 1749.

(c) Comm. in Dioscor. l. III., cap. 6. Coloniae 1529.

duceret catarrhales praecipue morbos familiarissimos observavit ex ingenti frigore tunc temporis manantes. Verunitamen non omnis frigoris excessus eodem semper morbos producit: Elapso quippè anno 1755. magnum frigus deprehenum est, quod iuxta thermometrum Farhenheitianum Ianuario mense ad duodecimum fermè gradum subter trigesimum pervenisse constat, quodque relatè ad teterimum frigus anni 1709. tredecim gradibus iuxta idem thermometrum differt: Illo enim anno vigesimum quintum ferme gradum attigisse patet, tuncque frigus iuxta Ramazzinum (a) ad frigus praecedentium octo annorum Psicrometro teste proportionem Patavii habuit sexquialteram, hoc est ut ternarium ad binarium. Hic autem adnotandum, anno videlicet 1691. hyemem ventosam, & sicciam, frigidamque elapsi constitutionem extitisse, atque inter eos, qui grassati sunt, morbos a sanguinis incoepta coagulatione oriundos, polyposas circa cor deprehensas concretiones fuisse (b). At non omnis frigoris excessus adeo periodicam assertare videtur naturam, ut eosdem morbos producat: Anno enim 1755. non ita frequentes morbi catarrhales observati sunt, veluti aevo Marcelli Virgilii nuper laudati contigerat, quinimmo cronicis seclusis aegritudinibus, parum, aut nihil quolibet anni tempore observatu dignum extitit, nisi eae comminisci velint, quae praecordia affecerunt, affectiones unicuique conspicuae. Anno autem 1756. quo frigoris vis non extitit admidum ferox, Morbilli pravis stipati syntomatis hyemali tempore observati sunt, quibus ineunte vere aliquantulum evanescen-  
bus

(a) *Const. alg. an. 1709. Patavii 1709.*

(b) *Vid. Act. Erudit. Lips. an. 1692., pag. 220.*

bus Pleuritides, aliique thoracis affectus dominari coeperunt (*a*). Caeterum ex his erit, non modo siccitatem, & humiditatem cum algida constitutione coniunctas, aliosque casus huiuscemodi varietatibus ansam praebere, verum longa annorum serie varios exinde recrudescere morbos, qui iamdudum delituerant, aliosque frequentiores fieri, qui vix Medicorum observationem videbantur exegisse, quos inter praecordiorum affectus ad Aneurysmatum classem referendi sunt iure meritoque computandi.

### §. XXXIX.

#### *Etrusci aeris mutationes.*

**A**T vero memoratis temporum varietatibus sensim recrudescentibus huiuscemodi morborum deberi frequentiam conicitur. Florentinum antiquitus aerem asseverabat Iacobus Nardius (*b*), veluti ex anecdotis patet, non adeo noxium, subtilemque extitisse, veluti dum ille viveret factus est, cum temporis progressu montium cacumina nemoribus fuerint destituta, aditusque ventorum septentrionalium procellis referatus. Nequè illum somniasse cendum est, quandoquidem maiores, minoresque anni temporum immutationes videntur resecatis exinde nemoribus respondere.

(*a*) Observationes alias sequentium annorum a me ipso descriptas transmisit D. Andr. Eliae Buchnero Profess. Hall. Acad. Caes. Phys. Med. Nat. Cur. Praef. ut in Actis Norimbergensibus imprimarentur.

(*b*) Anonim. Ricordi varj MS. in codic. 73., class. XVI, MSS. Bibliothec. Public. Magliabecch. Florent.

dere. Et sanè insignes deprehenduntur in praesens mutationes, quas non tam frequenter Etruscis advenisse comperimus antequam celi simae Pistoriensium alpes altissimis, quibus luxuriabant arboribus non adeo frequenter expoliari consuevissent; id quod prudenter quidem publica lege cautum exinde fuit ne incolarum valetudo periclitaretur, ut nempè non tam frequenter annosae quercus, ac proceriores arbores, quae ibidem consistunt, humanis usibus insumerentur<sup>(a)</sup>. Si igitur atmosphaericae varietates apparent nihilominus frequentissimae, pariterque constat, ex his morbos recrudescere, videndum, utrum quid in praecordiorum affectibus, de quibus praecipue sermo est, lignendis, & exacerbandis praestare possint. Quae patet huius generis affectiones numquid frequentiores, quam elapsis temporibus dici possint, plane ignoro: Nullum tamen me legisse ingenuè fateor Etruscum Auctorem, qui praecipue de Aneurysmate circa praecordia genito, & in nostris hisce regionibus adeo frequenti, & perniciose ut in praesentiarum videtur, sermonem instituerit, atque tractationem numeris omnibus absolutam praelo commiserit, cum altum sit de hac re silentium. Fatendum est utique, cadaverum sectiones non adeo frequenter elapsis retro saeculis in usu fuisse, veluti adnotatum est (§. III.) ; Sed restanti momenti si saepissime contigisset, seclusis etiam cadaverum sectionibus videbatur ex congerie syntomatum eruenda.

## §. XL.

(a) Algidum aquilonem graviora humanis corporibus allaturum detrimenta si nemora montium altiorum resecata fuerint, poeticè pronunciavit Franciscus Bracciolinus municeps meus, qui XVI. labente seculo, & ineunte XVII. floruit. Vid. Schern. degli Dei Cant. VI, Venezia 1689.

## §. XL.

*Locorum constitutio.*

**S**I quae tamen attendenda forent, ut optimae, & accuratae morborum ephemerides complanarentur, id unum esset expetendum, ut sedula, & luculenta morborum, qui nobiliores adoriuntur partes a veteribus Etruscis Scriptoribus adumbrata saltem enumeratio peracta esset, & ad seros transmissa nepotes: Praecordiorum namquè morbos graphicè propositos fore consideremus. Quum autem quidquid nobiliores illis temporibus aggredieretur partes huc illucque possum videatur, hinc ea, quae praecordiorum respi- ciunt aegritudines, haud diligent exposita tractatio- ne consistunt, adeo ut quidquid de Aneurysmate cen- sendum esse sentiret observatores planè ignoretur. At ne lucem in tenebris quaerere videamur, atmo- sphaericæ rursus constitutionis examini insistendo, lon- gè nimis Aneurysmatum, quae cordi evadunt infen- sissima, progressus deducere quemvis non posse asseri- mus, si annuam, hodiernamque coeli constitutionem consideraverit, quae aliis fortassè regionibus perni- ciosior animadvertisit: Autumnali etenim ingruente tempestate multum elasticitatis suae non satis diu hu- milibus in locis deperdit aer, qui humilis pariter fit (a), eamque non valde celeriter recuperat, nisi sicca sit hyems, ceu anno 1755. patuit observanti. Ac profe- ctio humiditas eo tempore maxima longos interdiu

L

no-

(a) Vid. Io. Keill *Introd. ad ver. Physic. & Astronom. Lect.* 20. pag. 386. *Lugdun. Batav. 1739.*

noctuque tractus occupat, fitque capiti permolesta, atque homines valetudinis cupidos adscititiis calvariam munire comis cogit, & nusquam propemodum in iis praecipue locis, qui a paludibus alluuntur intercalares dies habere solet. Nebulae plus, minusve compactae huc illucque vagantur, ex quibus perennis, ac veluti filamentosus humor extillat non tegmina solum ambulantium per vias humectans, sed internos domorum parietes, & stragula insolito humore madida reddens, adeo ut ipsa hominum corpora inflata quandoque appareant, quod non aliunde deducendum videtur nisi quia externae partes sic quasi in perpetuo detinentur balneo, unde labefactatae cedunt liquidis distendentibus, ceu adnotavit Van-Swieten (a). Talis haec maritimis praesertim in locis constitutio ad plures etiam hebdomadas extenderetur, nisi flabra ventorum, nec non frigoris exacerbati deminum superveniret. Capitis gravedines, anxietas in praecordiis, & hypocondriacae affectiones tunc grassari solent, quae nisi assidua corporis exercitatione eliminantur, evadunt sensim contumaciores. Quamobrem nullimode improbandum videtur illorum consilium, qui rusticantur, & montano perfruuntur aere usque dum frigus siccum supervenerit. Qui vero Civitatis, Pagorumque flagrant cupidine, easque praecipue incolere compelluntur regiones, quae marinis conterminae litoribus extant, si cum in eas venerint ex igne suppetias mutuentur, & artificialibus hypocaustis deciduam discutiant humiditatem, non leve nanciscetur emolumentum. Quum autem allata humiditas ex-

trin-

(a) *Comment. ad Aphor. Boerb. Text. 26. Lugdun. Batav.*  
1742.

trinsecus occurrentes caput laedat, hinc montanus aer haud insalubris censendus est: Montium namquè cacumina purioris aeris nota gaudent, ceu Barometrorum usu percipitur, uti mirificè patefecit Musschembroeckius (a). Maior ulterius salubritas ex puriori emergit aere, magisque proficuum vel aestuante Sirio in montibus experiuntur qui ibidem degere assuecunt, veluti longa comprobatum fuit observatione.

### §. XLI.

#### *Observationes nonnullae.*

**Q**UICUMQUE ITAQUÈ ADDUCTAM NEQUEUNT EVITARE CONSTITUTIONEM, NEQUE OPPORTUNAS ADHIBERE PRÆCAUTIONES, NON MODO DEBILES FIENT, SED PRAETER CAETERA, QUAE SOLENT ADVENIRE SYNTOMATA, ANOREXIA LABORABUNT CUM ORGANA TRITURATIONI CIBORUM DICATA NONNISI REMISSIUS PROPRIO MUNERE PERFUNGANTUR; ID QUOD FIBRUM INDIGITAT ATHONIAM EX ADDUCTIS SYNTOMATIBUS ADUMBRATAM. OBSERVARE MIHI NON RARO DATUM EST, EOS, QUI MORBIS EX ATHONIA CONFLECTANTUR, HUMIDA SUPERVENTE CONSTITUTIONE IN DETERIUS RUERE, QUOD CONIICIENDI LOCUM PRAEBET VEL EOS, QUI SIVE CORDIS MAGNITUDINE PRAETER NATURALI, SIVE PRAECORDIORUM LABORANT ANEURYLMATE EX EADEM ATHONIA DEDUCTO, NON LEVIA INCOMMODA LATUROS, EA SANE RATIONE, QUA CAETEROS DEBILI FIBRARUM NEXU COALESCENTES AD MORBOSIS AFFECTIBUS SUCCUMBENDUM, IN QUOS PRONI SUNT, DISPONI CERTIMUS, VELUTI ACCIDIT IIS OMNIBUS, QUI OTALGIA LABO-

L 2

ran-

(a) *Effai de Physique*, chap. 36. A Leyden 1739.

rantes aliquantulum aeris humiditate discussa sonoras recipiunt impressiones, eademque superveniente auditus iterum sensu destituuntur. Constituta huiusc naturae athonia plurima emergunt incommoda, inter quae non postremum obtinere videntur locum anomiae quedam febriculae contumaces, quae auctam cordis actionem fuisse demonstrant. Id meherculè reticendum non est, quod nempè talis adacta cordis actio non modo pendere potest ex superveniente febricula, sed ex ipsa tunicarum, quibus stipantur arteriae, laxitate, atque imminuta earumdem resistentia: Internas quippè arteriarum tunicas comprimens sanguis si maiori adigatur impetu ac imminutam invenerit resistantiam, ampliorem sibi viam sternet, & internus proindè arteriarum ambitus dilatabitur; si quidem non plaethora tantum Aneurysma ipsum producere potest, sed & ipsa vasorum athonia cum plaethora coniuncta una simul conspirant ad huiusmodi affectiones inferendas. Ac profecto si sanguinis motus in perenni ex corde egressu augeatur, violentior evadet impulsus quo maior erit relativa velocitas, sive discrimen velocitatum huiusc sanguinis, illiusque, qui per arterias moveri perrexerat, veluti demonstrare conati sunt viri sapientissimi (a).

## §. XLII.

(a) Vid. Sauvages *Dissert. sur l'Inflammation*, §. 173. A Geneve 1744.

## §. XLII.

*Effectus peculiares mutationis atmosphaericae.*

**Q**UOD si aucta sanguinis quantitas considerari velit, quae nonnumquam cum talibus affectibus copulatur, iam vasa ex plaethora ipsa dilatabuntur, & non tam facile in venas nimis distentas sanguis ipse propelli poterit; undè maior circa arteriarum fines exorietur resistentia. Hac posita apparet, aortae diametrum, quae definita est (§. xxvii.), aliquantulum protendi; ex quo fit, ut cor eamdem sanguinis quantitatem in canalem ampliorem immittat. Quamobrem minor evadet celeritas quam antea fuerit dum per canalem conicum convergentem, proindeque angustiorem fluebat. Si igitur maior impulsus in vasis cordi proximioribus fiat, hinc maior in ipsis deprehendetur extensio, & inchoabit fortassis Aneurysma, inchoatumque augebitur, quae tamen omnia cum forsitan veluti praegressa conspicuntur, cum adducta immutatio temporis constitutio varietatem quamdam ostendit: Vel enim immane frigus advenit, vel totalis repentina siccitas superstruitur, ex qua terra ipsa dehisce-re quodammodo videtur dum tempestas primaevae constitutioni aemula dominatur, ex qua cuncta variantur aegritudinum syntomata humanis haud innoxia corporibus. Haec quidem omnia tamquam relativa statuenda volumus, cum non omnibus eadem atmosphaerae officiant inquinamenta, neque omnibus eadem sit solidorum firmitas, atque textura adductis immutacioni-

nibus obsecundans: Adnotatum namquè fuit a Medicis praestantissimis, non omnes persimili donatos fuisse corpore, adeo ut etsi plures facile debilitentur, non nulli tamen gravissimas quasque noxas evadant. Huius notae illorum plerique videntur esse, qui borealis bus in regionibus commorantur, ubi licet quam plurimi ex flamme venti cuiusdam intereant, cuius tanta densandi vis est, ut vel Hyspanicum vinum conglaciet, ipsi tamen vitam solitatem degunt, pariterque mortuos in Arabia legimus animales ex ingenti, ac perniciose frigore, qui ex borea super Athlantem Africæ montem spirante defertur, ubi tamen quam plurimi nullimodè laeduntur. Frigus insuper Regiae Urbis Pekini rapidiora quaque flumina adeo una tantum die in glaciem constringit, ut plaustra ferre valeant mercatores gravioribus onusta mercibus; at minus infestum evadit hominibus, quam frigus Europeum. Ad sinum denique Hutsonii vehemens adeo est frigoriferae aurae potestas, ut frigida quaelibet vaporum moles aeri interspersa per eiusdem terrae mixtionem congeletur, atque in exilissima, discretaque glaciei spicula resolvatur. Tales profecto algidae constitutiones fortiori fibra donatis parum, aut nihil officiunt, aliisque debili corporis textura praeditis adeo molestae fiunt, ut si illae eadem repente contigerint permagnum ipsis morborum agmen adveniat, ex quo praecordia haud raro infestentur. Et sanè quamvis tam multos athletico pollere corpore comperiamus, tamen alios quosdam adeo debiles extitisse videmus, ut si post corporis excalificationem frigida usi compositione, sive balneo fuerint, protinus occubuerint; id quod relativas dispositiones, affectusque relativos ostendit. Ex ingenti insuper frigore affici praecordia posse ani-

animadvertisit Ramazzinus (*a*) dum algidam anni 1709. constitutionem erudita exponeret oratione. Quidquid autem de Aneurysmaticis praecordiorum affectibus ex immutacione temporum saepe saepius recurrente descendens effari constituimus varios ex frigore ad humiditatem transitus respicit, ex quo debili fibra coalescentes laedi posse contendimus: Corpus enim debile redditum ex frigore firmatur, maioremque apparet illi vim accessuram, dum ea, quae illius laxitati favebant, protinus evanuerint, eaque firmitas humida superveniente constitutione deperditur. Immunita igitur, exindeque superaddita aeris elasticitas ex adducta temporum immutacione dependens sit debilibus infensiissima.

### §. XLIII.

#### *Arteriarum vis immutata.*

**N**emo igitur inficiabitur, & ipsa arteriosa vasa firmiora fieri, diuque firmitatem suam fovere quoadusque temporum vicissitudines perseverant. Si vero in internis arteriarum involucris quaelibet vel minima dilatatio, vel ad eam proclivitas fuerit, ea ex tonica superveniente facultate ingravescet, cum antehac gravi, & ponderoso existente aere propellenti cordi resistentia fieret, humorumque praepeditus penè cir-

(*a*) *Quotus enim quisque est ( ait ille ) repertus tam densiorio, ac tam forti a natura temperie donatus, qui non in cute solum, sed intus quoque, & intra ipsa praecordia, ubi vestalis ignis nativos lares, & focum habet, ab algidissimi aeris inspiratu noxiam aliquam non persenserit? Const. alg. an. 1709. Patavii 1709.*

circitus agnosceretur. Illud tamen vel maximè observatur, quod nimis adventante verno tempore Aneurysmata praecordiorum panduntur, haud aliter ac in reliquis anni tempestatibus: Quae namquè perspiranda materies est remoratur, obortisque obtuperat mutationibus, ac saepè saepius ad corporis poros pervadendos inepta per vascula maioris diametri refluxere nititur, & dum illic detinetur extraneis coagmentata corpusculis ibidem collocatis internos quosdam proignit affectus ex aducta refluente humorum quantitate innascentes, nequè facillimè exsuperabiles. Intimae igitur, extimaeque vasorum partes depraventur oportet usquè dum Aneurysmaticam naturam affequantur.

### §. XLIV.

#### *Veterum, & recentiorum usus.*

**F**requentiora tamen putanda non esse videbuntur nostro aevo praecordiorum Aneurysmata quandoquidem adductae mutationes, quae his excitandis conducunt, plus minusve praeteritis temporibus usuvenerint, quin de frequentia istiusmodi morbi homines conquererentur. Veruntamen haec dum mecum reputo, haud perperam allatae sententiae refragari eos censerem, qui mihi talia proferrent. At vero supra caetera aliquid maximoperè attendendum est, quod rem extra omnem dubitationis aleam collocet. Itaque ex aeris intemperie non adeo frequenter laedi potuisse maiores nostros haesitandum minimè videtur, quoties illorum plerosque ferotnum, & nocturnum aerem plus minusve pro varietate locorum sub dio degentes non nisi

nisi cautione quadam expirasse novimus ac si instantem ex aere noxam expectandam fore ducerent. Nil ergo mirandum, si eiufdem immutationem non incassum captarent, nequè altiores itinerando situs quandoque invisere gravarentur. Verum quantumvis graves atmosphaericæ mutationes plus quoquè quam hodiernæ contigerint, prava tamen earumdem qualitas Gymnasticis frequentius adhibitis exercitationibus discutiebatur: Ipsae enim cum corporis robur maximè respicerent quam saepissimè usurabantur, ita ut in illis quoddam veluti aequilibrium firmitas corporis semper propemodum asservaret: Hae autem cum penè obsolevissent, ignoratur profecto, numquid emolumenta potius quam detrimenta humanis corporibus accesserint: Desidem namquè transfigere vitam, somnoque deditam plerique cupiunt, & parum, aut nihil tuendae valetudinis desiderio accenduntur, quin potius errata omnia ex fonte sex non naturalium rerum manantia miserrimè consequantur. Attamen qui somno nimium indulgent praecordiorum languoribus obviam eunt, cum cordis, & arteriarum motum in somno augeri compertum sit (*a*). Positis igitur iisdem semper accidentibus, iisdemque circumstantiis, quae in atmosphaerica constitutione ingruente praesertim bruma contigerant, fieri minimè potest, quin in præsens graviores, frequentioresque vel in praecordiis pandantur morbi, eo quod per ampla errorum seges allatis mutationibus superstruatur.

## M

## §. XLV.

(*a*) Vid. Boerhaav. *Praelect. in prop. Instit. Text.* 597.  
Lugdun. Batav. 1740.

## §. XLV.

*Regionum situs observandi.*

**Q**uum vero ea, quae usquè adhuc adducta sunt respectivas atmosphaericas mutationes respiciant, eamdem neutquam asservare periodum agnoscantur: Ventorum quippe flantium maior, minorque frequētia breviorem, diuturnioremque praeferunt, idque nonnisi ex maiori, minorive acquisita aeris elasticitate concluditur, siquidem arteriarum expansiones aeris elasticitati quodammodo respondent, adeo ut si aeris increverit elaterium distensiones, atque rupturae in ipsis arteriis superveniant, veluti adnotavit Michelottus (a). Locorum insuper situs accuratè praenoscendi sunt, cum ex his haud leve deducatur discrimen. Faustissimus sanè Etruriae nostrae situs dicendus est, cum modo altissima montium iuga, modo vastas, & amoenissimas planities quivis intueatur. Quarè facili negocio datum est montanum aerem inspirare si forte fortuna qui humilia loca ambit morbos gravissimos mi-

(a) Afferit ille, *Sanguiferorum canalium rimas, rupturasque ab insigniter increscente aeris vi elasticā fieri quoquè posse*; *sanguinea scilicet massa certis annī temporibus, constitutionibusve, summo gelu, vel aliam quamcumque ob causam, prona ad concrescendum existente, facile intelligemus*, si quae de aeris ex conglaciatis aqueis particulis erumpentis vi, vel bellicā tormenta frangere valente, quemadmodum humores a crurore in animalibus secernantur scribentes adnotavimus, huc traducamus. Vid. *Instit. Bononiens. Comment. Tom. I. pag. 439.*

minitetur. Ea autem, quae circa humidam autumnali tempore observatam constitutionem ( §. XL. ) deprehenduntur, humiliora, & intermedia loca consecutari videntur, ubi hasce, etsi transitorias, & temporarias, advenire mutationes adnotatum est, è quarum noxa facilè evadet quicumque spatiosa, & montana loca invisere non gravabitur, vel subcisis saltem horis aliquam corporis amplectetur exercitationem. Idcirco igitur saluberrimum potiori iure istud praedicatur coelum, eo quod parvo secluso tempore nulquam propemodum aegritudines, quae ex ipso proficiuntur substineantur. Veruntamen si quae sunt haud innocua loca, haec circa marinum litus spectanda occurunt, ubi aquarum non raro pravitas adiicitur, ex qua endemius profluit morbus in iis conspicuus, qui salubrem aquam venalem habere nequeunt, obstructio videlicet in hepate, & liene, ex qua non modo multiplex Icterus, & Hydrops, sed ipsum cardiacum Aneurysma consequitur, ceu ex inferius adducendis patebit ( §. XLVII. ). Interim è diverticulo redeuntes in viam id meminisse sufficiet quod iam innuimus, persaepè nimirum ex ingenti frigore ad molestam transitum fieri humiditatem posteaquam novum frigus, & calor etiam supervenerit ( §. XL. ), ita ut dum humana corpora intolerabili frigore torpescant, ex immoda laedantur humiditate, sive protinus quibusdam ardoribus torreantur. Insuper adnotatum est, hominum errata homines alios incautos fallere, eosque demum cardiacis aegritudinibus subiictere, eo quod tum aeris, tum arteriarum elasticitas sanguinis actioni non bene respondeat ( §. XLII. ). Quum itaque ex allatis erroribus tales ingravescant mutationes, altera, nisi mea me fallit opinio, obtinebitur causa

nullimodè criminanda , ex qua frequeatiora deducantur Anœurysmata . Interim vero ad alia properandum.

### § XLVI.

#### *Rusticorum regimen.*

**P**eculiares nonnumquam observare fas est morborum curationes apud imperitum praincipè vulgus familiarissimas , quae solertissimorum quorumcumque Medicorum ratiocinationes eludunt , atque ex adverso praecipites morbi quidam deprehenduntur , qui ne minimum quidem infelcis eventus antea indicium praeferebant . In priori itaque casu natura morborum medicatrix ultro accersenda foret , etsi immani instantie morbo vix evadendi locus supereisset : In altero vero ignavia fortuita consulenda , quae insanum vulgus hallucinatur . Rusticos quæso , & inurbanos homines si spectemus , propriae necis artifices illico praedicabimus : Dum enim laborantes esuriunt vescuntur pessimè , atque esculenta praetereundo maximè ad rem nostram facere videtur aquarum , & aeris , qui absorbetur , ingurgitatio : Ex aqua namquè terreis referta particulis morbi quam plurimi emanant (a) . Patescit iam palustrium locorum incolas insalubribus ut plurimum aquis sitim explere , quin ne hilum quidem de prava ipsarum indole cogitent . In morbum proindè incidere solent , quem Graeci πολυσαρκίαν dicunt , sive assiduas perferunt obstrukiones , ex quibus aegritudines oriuntur innumere-

(a) Vid. *A mechanical account of poisons in several essays* by Richard Mead , Tent. 6. London 1745.

rae, inter quas, praeter vitia praecordiorum, reticendus Hydrops non est, qui ex ictero solet profici, ex obstructionibus, quae prius aderant, progenito, veluti in iis, qui aere, & salubri aqua destituuntur, praenoscitur frequentissime. Crassescunt illi, laxa pollut fibra, & tonica contractione privantur. Per amplum sane in Etruria nostra munificentiae praebuere argumentum qui ad eam partem, quae maritima, finitimaque respicit loca, salubriorem reddendam stagnantibus, coenoque refertis aquis illa arva alluentibus, atque aerem pravis halitibus inquinantibus declivem largiri cursum meditati sunt, & saluberrimam exinde aquam magnificis è longo tractu ductibus derivare, & in Urbes ipsas deducere. Caeterum qui optimae aquae subsidio orbantur, pravumque inspirare aerem coguntur, Aneurysmaticis haud infrequenter tentantur praecordiorum affectibus, veluti in nostris hisce Nosocomiis sic manifestum, ubi maxima aegrorum è locis palustribus redeuntium copia tum obser-vatur, cum nimirum adveniente aestate in puriorem aerem illuc, unde discenderant, revertuntur. Ego equidem arbitror, cardiaca vasa ex aere parum elastico, & pravis quandoque halitibus inquinato ener-vata, nec non sanguinem pravis qualitatibus imbutum haud leves putari posse causas incipientis saltem huiusmodi affectus, qui ex assidua adductis in locis mora maior gradatim fiat usque dum aliquo interveniente casu patefiat, & ope transitus ex parum elastico ad elasticum aerem ingravescat. Austrinae tamen reticendae constitutiones non sunt, quibus supervenientibus non aliquae duntaxat corporis partes hebetantur, uti notum Hippocrati (*a*) fuisse colligitur, sed cordi, pul-

mo-

(*a*) Vid. Α'φορ. τηλημ. τρ. α'φορ. ε', καὶ ιζ.

monibusque gravia succedunt syntomata, quae observationem promerentur (*a*);

### §. XLVII.

#### *Peculiares aliquae Aaeuryfmatum causae.*

**I**Nsuper deprehensum est, omentum in iis, qui facile pinguefiunt, mole augeri admodum posse, dum in obesis praesertim opima oppletur pinguedine (*b*). Quum autem nullum extet in omento vas excretorium, omnis illa pinguedo ex validis mota laboribus abit per epiploicas venas in venam portam, atque toto inundato hepate pessimae obstructions emergunt. Ex his vero usi uenire Aneurysma haud videtur incongruum, quandoquidem ex cuiuscumque visceris obstructione cordis vis augetur. Si ergo dimidium ramorum aortae obstrueretur quadrupla cordis vis necessaria foret, ut sanguis in proprios canales propelli posset (*c*). Cetum insuper est, atque repetitis comprobatum observationibus, eos allatis morbis succumbere, qui vel fibram minime naecti sunt robustam, sive laxam quocumque casu reddiderint, pariterque constat, iuniores, & robustiores praecordio-

(*a*) *Quam plurimis aliis, qui organicas varias laesiones circa cor, aut pulmones a diuturno tempore gestabant, gravia pectoris syntomata cum difficultate respirandi in hac aeris austrina constitutione evenisse observavimus.* Vid. Valcarenghi de aortae Aneurysm. Observat. Obs. I. Cremonae 1742.

(*b*) *Vid. Van Swieten. Comm. ad Aphor. Boerhaav., Text. 916. Lugdun. Batav. 1753.*

(*c*) *Vid. Sauvages An. a la Statique des animaux d' Hales §. 277. Genevae 1744.*

rum Aneurysmate magis tentari, ceu iam adnotaverat Albertinus (a). Haec porro ut una simul conciliari valeant autumari posse videtur, vitae nempè genus esse maximoperè considerandum, utque ab iis, qui palustria incolunt loca aliquid luminis mutuemur, adnotandum videtur, id eos in votis habere, ut sano, robustoque polleant corpore, assidua edocti observatione, iis videlicet, qui in morbos proclives sunt, nequè substinere labores queunt, talia evitanda loca esse, iisque adeunda, qui parentes ibidem non valetudinarios habnere, sed benè valentes. Attamen & horum plerique paulatim incipiunt debilitati, omnemque in se refundendam culpam agnoscunt, cum laxitatem experiantur assiduam, qua priusquam illuc adirent, minimè tentabantur. Si ergo morbis corripiuntur, non ideo corripiuntur propriea quod iuniores, & robustiores subito appareant, proindeque corporis laxitatem subierint, sed quia cum domum remigrarint, corpus iam debile assidua quassare defatigatione non dedianter. Tamen seclusa etiam omni aeris parum, aut nihil elasticī inspiratione illud verum agnoscitur, quod iuvenes, & robustiores praecordiorum Aneurysmate magis tententur si aliae accenseantur causae validiores, ex quibus arteriarum involucra adeo validae distendantur, ut facillimè dilatari queant, & parere ipsum Aneurysma: Si namquè aeris elasticitati plus minusve agenti improbi labores corporis adiificantur, eaque universa, quae validas reddere distensiones possunt, facili quidem negocio, licet athletico gaudeant corpore, Aneurysma patefiet.

### §. XLVIII.

(b) Vid. *Instit. Benoniens. Comm. Tom. I. pag. 382.*

## §. XLVIII.

*Aeris elasticitas.*

**I**D vero pravam aeris naturam esse probè noscen-  
dam demonstrat, cum haud exiguam humano in  
corpore vim nanciscatur, veluti tum a veteribus, tum  
recentioribus cognitum est (*a*), & non leviter confe-  
rat ad morbos allatae indolis producendos, qui ideo  
frequentes sunt, quia duris urgens in rebus egestas  
rusticos homines illuc, ubi aeris noxa vitari nequit,  
adire compellit. Veteres ipsi locorum constitutiones fe-  
dulo examini subiicere minimè gravati sunt, cum pro-  
bè novissent, a siccō solo salubrem, a palustri incle-  
mentem, & quandoquè pestilentem aerem proficiisci,  
veluti elapsis retro temporibus apud Aegyptios, Grae-  
cos, atque Germanos deprehensum fuisse testatur Hoff-  
mannus (*b*), qui Scriptorum testimonia accurate col-  
ligere

(*a*) Vid. ΙΠΠΟΚΡ. Περὶ αέρων, ὑδάτων, τόπων. Hippocraticae doctrinae inter recentiores adstipulatur supra caeteros Arbuthnotius in libro, cui titulus: *Essay concerning the effects of air on human body. London 1733.* Huius versioni latinae adnotationes addidit P. Fort. de Felici. Neapoli 1753. Agnita itaque pernicioса aeris constitutione mutationes eiusdem illico fiant oportet: Nam pessimum aegro est coelum, quod aegrum fecit, uti probè innuit Celsus *De Medicin. I. II. cap. I. pag. 43. Patavii 1750.* Sed aeris innovatio in navi-  
bus quoque, cubiculis, nosocomiis, carceribus, aliisque lo-  
cis obtineri potest non solum auxilio machinae, quam Hale-  
sius, & Desagulierius excogitarunt, verum ope machinae  
simplicioris apposito igne, veluti novissime deprehendit Suttonius *An Historical account of a new method for extracting the foul air out of ships. London 1749.*

(*b*) *Dissert. Physic. Med., Diff. V. Genevae 1748.*

ligere voluit, ex quibus rei veritas inclaresceret. Contra vero si celsissimae peragari velint alpes, ubi aer perflatus, multumque elasticus appetet, atque optimarum scaturigines aquarum reperiuntur, raro admodum obstrukiones, & universum morborum agmen ex iis pendens, aliique innumeri affectus alibi conspiciendi deprehendentur. Nequè mirum si rarius in cadaverica eoram, qui montium iuga incoluerunt, sectione praecordiorum Aneurysmata repertantur: Aeris namquè elasticitas, corporis labores, & vitae regimen huiusmodi sunt, ut nihil admodum reprehendendum esse appareat, nisi fortuitus aliquis error extiterit, sive ex ea, quam profitentur arte incommode aliquod subeant: Fodinas enim montium viscera tenent metallorum, quorum glebae nonnisi ingenti effodiuntur labore, qui cum inspiratione aeris modo nitrosis, modo sulphureis, modo aluminosis halitibus, qui undique circumvolitant, redundantis copulatus animalem perturbare valet oeconomiam, & non raro mortem ipsam inferre: Vapores enim teterimi ore hausti, exceptique pulmonibus sanguini manus iniiciunt pertransiunt, eiusque cogunt molem, coercent, atque constringunt. Quarè non immerito naturae promptuarium vocatur aer, eo quod multiplices, quae ex ipso derivantur, aegritudines ex mixtorum compositione multigena pendeant. Nequè praetermittenda vis est, qua aereae particulae sive se mutuo non tangentes, sive quandoquè se mutuo repellentes fugere semetipsas conantur, quae in ea crescit ratione, in qua distantia inter centra particularum earumdem minuitur (a). Aer pravis effluviis inquinatus, acidis,

N qui-

(a) Vid. 's Gravesand. *Physic. elem. Mathemat.* Tom. I. l. 2. cap. 13. pag. 158. Lugdun. Batav. 1720.

quibus scatet particulis, vaporibusque ad fermentationem concipiendam aptis (a) pulmones adigit, qui nisi firmati, integrumque nocti fuerint habitudinem, afficiuntur facillimè, & causaria praesertim corpora ad internacionem usquè deducunt (b). Adnotandum id est enī solis intermissione aperte respiratione sit : ta-

(a) Vid. Optiks: or a Treatise of the Reflections, Refractions, Inflections, and colours of Light: The second edition With Additions. By Sir Isaac Newton, Book III. London 1718.

(b) Aeris velocitatem maximam esse demonstrat machina Desagulierii, quae in Actis Anglicanis descripta est Trans. Philosoph. for the year. 1727. num. 437. Concipiatur aer in variis, atque concentricas divisus periferias, adeo ut vires centrifugae sint ut radii, in progressionē nimirū Arithmetica. Sit itaque  $R$  radius majoris circuli  $= 3. 5.$  ped.  $r$  radius circuli minoris  $= 0. 75.$  m. radius circuli medii  $= 2.$

$\frac{125}{125} = r + \frac{R - r}{2} = \frac{R + r}{2}$  v spatiū a medio circulo percursum spat. min.  $1.^{\prime\prime} = 26. \cdot 1.$  s spatiū percursum ob gravitatem  $= 16. 1.$  s spatiū a minima aeris particula ob vim centrifugam percursum dum ē centro circuli medii ad periferiam progreditur  $2 \text{ m} : v :: v . s$ , seu ob regulam Hagenianam  $\frac{v^2}{2m} = s . G$  &  $c$  vim indicant gravitatis, & vim cen-

trifugam in circulo medio Spatia eodem tempore percursa propter actionem duarum virium sunt ut hae vires  $s : s :: G : c$ , &  $\frac{sG}{S} = c$ , ac pro  $s$  adhibendo  $\frac{v^2}{2m}$  erit  $\frac{v^2 G}{2m S} = c$ ,

& pro  $m \frac{R+r}{2}$  tunc  $\frac{v^2 G}{R+r \times S} = c$  ita ut gravitas sit ad vim

centrifugam in eodem circulo ut  $G$  ad  $\frac{v^2 G}{R+r \times S}$ , seu ut  $1$  ad

$\frac{v^2}{R+r \times S}$ . Quod si multiplicetur per numerum circulorum

$R \rightarrow$

tamen, interdum rusticos homines sospites magis degere, quam urbanos: Ipsi etenim, nisi in aliorum arvis sustinere labores conentur, paterna propriis bobus exercent rura, & parum, aut nihil aliquo diuturno pathemate corripiuntur. Ex quo fit, ut quandoque plebeiae genti invidere debeamus.

## §. XLIX.

### *Pravum vitae regimen.*

EX his tamen omnibus praecognitis nonnulla eruenda sunt, quae Aneurysmatum in praecordiis genitorum frequentiam videntur indigitare. Primum itaque videmus, eos, qui tota hyeme palustribus in locis commorati sunt, quorum plerique miseriis tabescunt, sero admodum in proprias regiones reverti, &

N 2 re-

$R - r$  erit pressio aereae columnae  $R - r$  producta a gravitate  $R - r$ , & pressio centrifugarum virium  $\frac{R - r}{R + r} \times \frac{v^2}{S}$ .

Quoniam vero pressionum diversarum velocitates sunt ut radices quadratae earumdem pressionum, erit velocitas a gravitate producta ob naturale pondus, seu ob pressionem  $R - r$  ad velocitatem, quam columna eadem recipit a pressione,

quae nascitur a vi centrifuga, ut  $v \sqrt{\frac{R - r}{R + r}}$

Si velocitas a gravitate producta =  $R - r$  vocetur a = 15.

38 ped. 1." min. erit velocitas, quae nascitur a vi centri-

fuga  $a \times v \sqrt{\frac{R - r}{R + r}}$ , seu  $a v \sqrt{\frac{R - r}{R + r}}$ , seu  $v \frac{a v}{\sqrt{R + r}}$

ide& in adducta machina  $\frac{15 \cdot 38}{\sqrt{4 \cdot 25}} \times \frac{26 \cdot 21}{\sqrt{16 \cdot 1}} = 49.67$ . ped. 1." min.

repentinis modo humidioris, modo gravioris aeris mutationibus obrui. Nullo deinde haud valetudinariae transigendae vitae ardore accenduntur, nullisque utuntur remediis, ut morbos caveant, quibus alias succubere. Si denique aliquo vel levi morbo tentatos se noverint, id unum in deliciis habent, ut nempè ab instituto vitae regimine non deflectant nihil admodum de valetudine servanda solliciti. Nil igitur mirum, si gravissimos sibi morbos accersant, quos ingravescere cogunt errores neutquam contemnendi nostroque aevo familiarissimi. Quamobrem nil vetat asserere, insalubrem humiliorum locorum constitutionem cum adductis coniunctam erroribus praecordiorum affectus efficere frequentiores consueuisse, inter quos Aneurysma vel in infantia progenita, vel sponte obvenientia sunt computanda, ceu assidua probatur experientia, ac satis superque iteratae cadaverum sectiones evincunt. Qui tamen luculentam palustrium, & humiliorum Etruriae locorum notionem habere concupiscit, eos perlegat tractatus, ubi de causis, atque remediis insalubritatis aeris in humilibus, & maritis locis differitur (*a*). Nos interim, ne praetervolet nimium sermo, alio mentem, animumque convertere cogit id omne, quod alias respicit cardiacorum Aneurysmatum causas a nonnullis ne fortassis quidem cogitas, etsi eas ipsam praecessisse aegritudinem, ne dum comitatas fuisse fatendum sit.

## §. L.

(*a*) Vid. Targioni Tozzetti Relaz. d'alcun. Ving. fatt. in divers. part. delta Toscana. Tom. VI. Firenze 1754.

## §. L.

*Lues Venerea.*

As itaque causas, quae inter extrinsecas adnume-  
rantur, adduxisse supervacaneum foret, nisi quae  
vel intrinsecus vim suam exerunt in apertam planè  
lucem deducerentur. Huius profecto naturae Venerea  
lues videtur esse, quam praecordiorum affectiones seu  
paulatim promovere, seu ante pubertatem incoepias  
patefacere posse credendum videtur, si praesertim  
virus venereum iamdiu delituerit in massa sanguinis  
universa. Iam unus, aut alter effluxit annus, quo  
in celeberrimo Florentino Nosocomio quidam iuvenis  
decumbebat annos triginta neutquam praetergressus  
venerea cachexia admodum inveterata correptus. Huic  
caries ossium in capite insignis advenerat, ex qua vix  
evadendi locus suppetebat. Dum interim palliativa,  
ut inquiunt, perageretur curatio post irritum ptyali-  
smum inopinato exortum vita functus est. Insolitum  
ideo aortae Aneurysma observatum fuit, quod utram-  
que, thoracis videlicet, & abdominis cavitatem oc-  
cupaverat. Hinc factum arbitror, ut ex imminuta  
sensim musculari cordis actione, & ex violenta, valida-  
que diaphragmatis pressione organa respirationi dicata  
obstaculum subierint, ex quo inferri posse videtur,  
mortem exinde fuisse consecutam. Haud dissimilia me-  
mini quondam obliterata fuisse, ex quibus me coniicere  
posse arbitror, Venereum nempè luem Aneurysmatica  
nonnumquam vitia producere consueisse, cum hae  
biniae affectiones frequentissimè copulentur. Quum ve-  
ro memorata lues diu, multumque fines suos proten-

de-

derit, hinc sit, quod si saevissimis stipetur syntomatibus, adductas superius affectiones producet.

## §. LI.

### *Nonnulli effectus Luis Venerae.*

**Q**uae hactenus de veneno elephantiaco, leproso, & hydrophobico, nec non de pestifero, & varioloso contagio haud ineptè vel ab iis Scriptoribus congesta sunt, qui rerum veritatem fabulis obrepere meditabantur, de Syphilitico effari quoquè posse videntur, quod flogisticum esse ex enascente subinde phlogosi deducitur, nec non corrosivum, fixum, atque coagulans ex advenientibus comprobatur effectibus. Ex hoc ipso inquinari sanguinem compertum est, quandoquidem post affecta primum ea loca, per quae introgressum est, in sanguinem ipsum deducitur, & tum gliscenti veterno calcar additur, cum pravae dispositiones corporis praeexiterint: Tunc enim existiales vapores sanguini permixti acidam, viscidam, & acrem, quam praesetulerant, constitutionem ad eum inficiendum aptiorem reddunt. Nullus profecto ambigendi locus est, quin arteriarum tunicae firmitate gaudeant non exigua (§. vi.), adeo ut non ita facile debilitari queant, nisi magni momenti vis accesserit. Hanc tamen ex eodem proficisci veneno minimè alienum a veritate putabitur: Vetusta enim extante lue sanguini maxima communicatur labes, quae cum in dies magis magisque subcreverit, substantiam sanguinis depravat universam. Sanguis itaque postquam adeo pollutus, pravas qualitates, corrosivam

prae-

praesertim, & hemicausticam penè dixerim, adeptus fuerit, haud difficilè internam valebit arteriarum quarundam tunicam ubicumquè discindere, atque ex ea ad alteram gradatim transitus fiet, donec tertia in conspectum veniat, quae cum tendinosa sit (§ vi.), adeoque magis resistenti coagmentetur materie, sanguinis acrimoniam forsitan retundet, & superabit. Quod si ex huiuscemodi labe exostoses, hyperostoses, osteosarcoses oriuntur, & alia quam plurima, quae vim exigunt ad agendum validissimam, multo magis arteriarum laedentur involucra, atque verum exinde nascetur Aneurysma. Quoad erosivum vero principium in sanguine delitescens, & ex immisso veneno profluens attinet, adnotasse iuverit, huiusc naturam ipsis nudis oculis innotuisse, ceu eximii testantur observatores, qui sanguinem huius indolis explorare aggressi sunt (§. LXXIII.). En igitur inter binas intérieores tunicas excurrens huiusmodi sanguis, sensimque productum Aneurysma, quod circa praecordia innasci facilius posse deprehenditur, cum praeter pravam sanguinis indolem, vis maior ex vicino cordis impulsu sanguini eidem communicetur. Quod si his omnibus valetudinaria, ac penè scorbutica corporis constitutio (§. xx.) talium morborum soboles, aetas ad senium vergens, aegritudines praegressae, ac frequentissimi in sex non naturalibus rebus errores superstruantur, inferri potest, adducta vitia facilius usuyenire.

## §. LII.

*Laxitas inducta.*

**I**Nolevit animis hominum opinio quaedam, quod ex assiduo nempè concubitu laxetur valde corpus, visusque sensim deperdantur, adeo ut ipsa dorsalis tabes subsequatur. Id autem bene, ac sapienter eos effari consueisse perspectum est, quandoquidem ex repetitis fit manifestum observationibus, corpora frequenti assueta concubitui maximam saepissimè laxitatem contraxisse. Quod autem ex contracta emergit huiuscmodi laxitate sedulam extorquet observationem: Eos enim, qui utpotè in luxuriam proclives sequioris sexus se amore irretire non dedignantur, adeo in coeno cupidinum arbitror voluntari, ut assidue cum faeminis accubantes novis semper viam morbis sternant, quibus in corpore constitutis fieri nequeat, ut praecordia ipsa minimè torqueantur, adversaque ipsi semper valetudine conflentur. Et sanè compertum est, primo pubertatis flore languescente, ruere in deterius valetudinem, veluti ex prava corporis constitutione, sive ex perpetratis erroribus entescit. Verum si quis dum constitutum pubertatis tempus attigerit, effraenatae se mancipare libidini non erubescat, existimare ille poterit supra caeteros, maiorem serius oxyus laxitatem in se ipsum redundaturam: Nondum enim sat firmo corpore praediti esse dicendi sunt qui pubertatem ipsam haudquaquam fuerint praetergressi. Quod vero firmata iam corpora magis angit, atque sollicitat illud est, quod nempè laxatis ex coitu diuturno corporis vasculis non modo

pa-

patefieri affectiones possunt, quae pubescente adhuc aetate subortae sunt, sed aliae obvenire denuo solent, quae nullum exinde medicamen admittunt. Haud aliter labefactatis qualibet ex causa usuvenire corporibus deprehensum est, quibus nulla frequentior obtigit aegritudo, quam quae praecordia torquere perspiciuntur: Ea quippe omnia, quae fibrarum, ex quibus arteriosa coalescunt vasa, debilitatem inducere possunt, ipsa met promovere possunt Aneurysmata. Nequè aliter statuendum occurrit, cum clarè pateat, quae, quantaque concussio, quique calor, & quae denique exerenda sit vis dum quis venereo percitus oestro repetitos ictus infligit. Si ergo praeexistens fortè fortuna praecordiorum latuerit Aneurysma, quilibet inferet, ipsum quam citissimè se patefacturum, secus vero repente produci posse, si talis praecipue fuerit illius corporis constitutio, ut debilem nimirum nactum fuerit fibram ab incunabulis, vel talem temporis progressu reddiderit. Porro languet corpus, & pallore perfunditur universum, mentis hebetatur acies, ac sensim temperies nativa deperditur, fractisque proinde viribus tonica quoquè arteriarum contractio torpet, & sanguini propellenti minus resistit. Quidni lenocinante adhuc cupidine balsamicum quidquid inertat foras proruit, & sanguinis lensor emergit? Sive igitur arteriosa solummodo flaccescant vasa, sive iisdem in tonico adhuc statu perseverantibus sanguinis lensor adveniat, sive demum quorumcunque defectus una simul copulentur, arteriarum morbos emersuros iudicandum est. Quod si virus Venereum iam acquisitum adductis superaddatur conatibus, facile concludendum erit, huius indolis aegritudines procul dubio

O

con-

consequi posse. Cur vero praecordia praeter reliquas corporis partes infestari queant, illico elucet, si Anatomes auxilio propinquitas partium investigetur.

### §. LIII.

#### *Pravi salivationis effectus.*

**H**AUDQUAquam illud probandum esse censerem, quod iam adhiberi consueverat praesertim apud Transalpinos remedium Aphrodisiae depellendae dicatum, quod ad usque ptyalisum ex litu corporis universi deductum ex Hydrargiro optimè parato desumebatur: Facile quippe cuvis est divinari pravos affectus ex hac ipsa medendi methodo profecturos, si quando praesertim difficilè saliva reicitur vehementia pytismata consequantur. Tunc enim quod optimum censetur esse remedium, in hostem convertitur infenissimum, cum omnes probè noverint, quae, quantaque vis ex huiuscmodi medela proficiscatur humanis potius corporibus insalubris evasura, quam salutaris (a). Macrescit quotidiè magis adustum iam redditum corpus, atque eo, quo indiget, humore spoliatur, & dum gliscenti veterno aditus reseratur optimi quique humores una cum noxiis eliminantur. Enigitur quassatae arteriarum tunicae, quae nisi fortem nactae fuerint firmitatem, ad alterationes subeundas plurimas disponuntur. Si vero in Venerea curanda labe ex litu sudores quispiam multoties Aneurysmato iam

(a) Vid. Hundermark *De Mercur.* Lipsiae 1757.

iam efformato substituerit, conclamatum pro illo esse declarat Paraeus (*a*). Quod autem sedulo attendendum occurrit illud est, quidquid nempè praegressa medicamenti cuiuscumque sumptione. nocuerit , atque morbum exinde alicuius improvisae indolis patefecerit, culpari consueuisse: Tunc enim vel ex ipso Hydrargiri interno usu , licet proficuus expertus sit, metuendum saepè saepius occurreret, et si quandoquè nocuisse ambigi queat , veluti de quodam accepimus , qui plurimis mercurialium pilularum assumptis dosibus ex Orthopnaea peremptus est , inventusque habens in base cordis protuberantiam ovo columbino haud assimilem aliis proinde minoribus circumseptam (*b*). Cuncta haec internum Hydrargiri usum non adstruunt , qui prodesse admodum solet , verum apertè demonstrant , ex nimia , eaque excedenti quantitate haud levia contingere incommoda posse tum magis conspicua , cum interno huiuscē medicaminis usui litus extērnum , uti quondam adhibebatur , adiungitur . Ac profecto ea, quae cordi adhaerescunt arteriosa vasa , maiori donantur diametro , quae cum in aorta maxima sit , locum magis praebet experimentis , quibus peractis analogia cum aliis arteriis institui facillimè potest . Quod autem ex Anatomicis usquè adhuc enuit injectionibus illud est , quod nempè aorta ex membranis coalescit , quae ex vasis minoribus componuntur , quae insuper ex aliis sensim minoribus esse fabrefacta iamdudum innotuit . Apparet ergo , non

O 2 diffi-

(*a*) Vid. Theoph. Bonet. Sepulchr. Obs. 14. I. II. sect. 2. cum adnot. Manget. Tom. I. pag. 50. Genevae 1700.

(*b*) Vid. Zod. Med. Gall. pag. 156. Parisis 1679.

difficile adeo insignes enasci posse dilatationes dum quis vehementi traditur ptyalismo si ea praecipue attendantur, quae ex enascente subinde phlogosi consequuntur. Quamvis itaque quam plurimis bene cesserit, non paucos tamen ex litu corporis universi novimus ingulatos, quos fibris praesertim debilibus antehac coaluisse compertum fuerat. Neque aliter de reliquis statuendum esse medicamentis arbitrarer, quae ad promovendam affluentem diaphoresim apta sunt, iisdem tamen casibus usquequaque permanentibus.

### §. LIV.

#### *Veterum ingluvies.*

**H**AUD aliter videtur de reliquis internis conatibus decernendum, qui luculentam dicendi materiem suppeditant, quoties ex iucundis iisque frequentibus liguritionibus depromantur: Quae namque affluent admodum ingeruntur Aneurysmatum cardiacorum frequentiam non adstruunt, quinimmo inter praecipuas eorumdem causas videntur iure quidem ac merito computanda. Iam pueros ex ingestorum abusu ideo nocimenta saepe saepius contraxisse adnotavimus, quia tenellulae machinae recenter fabrefacta textura ingluviei cedit (§. xxviii.), pariterque rusticos homines maritimis, & palustribus in locis degentes ideo frequenter aegrotare consuevisse monuimus, quia nisi affluenti eduliorum quantitate, saltem qualitate prava vescuntur (§. xlvi.) Modo autem intento animo perscrutandum occurrit quidquid in

Urbi-

Urbibus ipsis ad palati fascinum invectum increbuit, quodque infensissimum mortalium corporibus potest evadere. Sive itaque pluries, sive semel in die manducare maiores nostri consuevissent, ea tamen, quae officere corporibus arbitrarentur, eorum nonnulli reiicere minimè gravabantur, et si haud frugale convivium apponenter discumbentibus. At ipse metu nidor embammatum, atque copia non evadebat helluonibus iniucunda, eo quod dum esurirent asotorum epulas inquirerent. Apud Romanos vero adeo ferina quaedam ingluvies invaluit, ut impuberes ipsi penum omnem clanculum congererent, natuque iam grandes populi placitis lenocinari non erubescerent. Postremis sanè Romanae Reipublicae temporibus eo usquè symposia legimus devenisse, ut in ipsis procerum aedibus nonnisi lurconum contubernia peragerentur; id quod sub ipsis Imperatoribus perduraverat diutissimè, ut non amplius Catoni senioris frugalitas, sed Vespasiani, Apicci, Luculli, aliorumque immodicum intueri valeret gulæ satis avidæ blandimentum. Et si itaque assidua veterum quorumdam intemperantia exoleverit, non desunt quidem, qui dum propria abliguriunt, vel nunc de morbis ex ingluvie nimia subortis miserimè lamententur. Quod vero vel maximè dolendum est, puerorum respicit alimentum: Haud enim patiens inediae quilibet praedicabitur quando non in accubitu duntaxat aliquo solemniori, sed in ipsis puerorū ientaculis apponantur edulia humanis corporib[us] infensissima, quorum libido si cum aetate crevit, non ita facilè poterit praetermitti. Cuncta prorsus sanguinis massa ex insalubribus eodem edulis coalescente alterationes nonnullas subibit, neque amplius mi-

xari

yari possumus, si plurimarum origo aegritudinum è sanguine derivetur, cum ille potiori iure morborum reus diiudicetur postquam in alienigenam naturam migraverit.

### §. LV.

*Morbi ex prava ciborum quantitate, & qualitate manantes.*

**P**Ravam ex esculentis, potulentisque quantitate, & qualitate peccantibus emergere sanguinis constitutionem nemo sanae mentis inficias ibit, quandoquidem quotidiana nos edocet observatio, morbos quam plurimos ex adducto fonte frequentissimè dimanare. Caeterum si sanguinis circuitus evaserit concitator, & dum vehementer arteriosum genus afficitur, eiusdem acredo praeexititerit non tam facile superabilis, praecordiorum Aneurysmata quispiam subsequi posse vaticinabitur. Corporis incremento proportionalis evadere in pueris debet sanguificatio; in aliis vero ejusdem conservandi opportunitati debet exactissimè respondere. Haec si perturbentur, adversa imminet valetudo pro efficacia causarum dignoscenda. Oriuntur aegritudines nullum prima fronte periculum praesefrentes quae satis superque graviores evadunt, & machinam humanam subvertunt. Ex his tamen omnibus illud consequitur, quod nempè validae requirantur actiones adhoc ut peracta exinde patescant Aneurysmata. Hae tamen vim nonnumquam exerunt validissimam, veluti ex effectibus intensius agentibus comprobatur. Et profecto plurima in Aneurysmate promoven-

movendo collimant, quae adeo validè agunt, ut germinatam quandoque affectionem progignant arteriosa simul, atque venosa vasa protinus infestantem. Varicem quippe in venosis praecordiorum canalibus cum Aneurysmate consociatam observavit in futore Lancisius (a), qui nusquam sanè se credidisse fassus est, varicem cavae minimè cognitam cum Aneurysmate in aorta sedem habente fuisse tunc temporis copulatam. Huiuscemodi propterea casus ansam ambigendi praebent observatoribus, adductas nimirum aegritudines ex causis vehementer agentibus proficiisci. Harum tamen nonnullae allatae sunt, quae non infreuenter panduntur; sed cum inter caeteras inopinatae quaedam, adveniant, quae vix post cadaverum incisiones manifestantur, ab iis recitandis supersedendum est, cum illae usquè adhuc adductae fuerint, quae iteratis innotuerunt observationibus, ac frequentiora fortassis reddidere nostro aevō praecordiorum Aneurysmata.

## §. LVI.

### *Gymnasticae abusus.*

**N**ON me fugit, immodicas quoque prisorum exercitationes eo usquè devenisse, ut vel in iis, quae ad valetudinem conservandam inventa fuerant, luxus certatim agnosceretur. Tametsi igitur huiuscemodi penè obsoleverit usus, satis superque quispiam adinvenitur, qui sive currendo, sive canendo, sive tolutariam

(a) *De subitan. mort. l. II. Obs. 5. Romae 1745.*

riam peragendo equitationem, vel quomodocumquè motus corporis instituendo exercitationis limites praetergreditur. Quidquid vero ad immodicas corporis exercitationes referri debet, inter externas advenientes causas accensendum est, ex quibus Aneurysmatica vitia proficiuntur: Dum namquè aliqua peragitur violenta quamtumvis exercitatio illae adhibendae cautiones forent, quas apud veteres Graecos, atque Romanos in usu quondam fuisse compertum est, qui cum Agonisticis navarent operam exercitationibus, constitutis quibusdam legibus obtemperabant, dum praecipue de certaminibus publicè peragendis ageretur, quae ad hoc ut rite disposita forent, a Gymnasiarchis consueverant moderatiora constitui (a). At vero in his quoque delinquere homines incooperunt: Exercitationes quippe instituere aggressi sunt, quae modum exceferant, atque habitui corporis, ipsiusque viribus minimè respondebant. Quod vero maximè ad rem nostram facere videtur in eo situm est, ut nimirum ab iis producantur cumprimis incommoda exercitationibus ad veram Gymnasticam referendis, quae etiamnum vident, sed peraguntur inopportune, quin ea spectentur, quae exinde emergere detimenta consueverunt. Quod si insperatos quivis excipiat ramices, thoraci maius obveniet damnum, quod praecordia ipsa adoritur quam saepissimè, ceu in cursoribus, baiulis, tibicinibus, fistularum modulatoribus, caeterisque huiuscmodi addictis muneribus deprehenditur. Veruntamen cuncta haec pro datis occasionibus Aneurysmaticas progignere valent praecordiorum aegritudines, easque

(a) Vid. *Mercurialis. De Art. Gymnast. Amstelodami* 1672.

eaſque progenitas palam facere, ideoque inter frequentiores Aneurysmatum cauſas reponi nonnumquam poſſe videntur, veluti in iis animadvertitur, qui ex longè perspicuis huiusce generis cauſis ex morbis circa praecordia ſedem habentibus infirmantur.

### §. LVII.

#### *Hystericae foeminarum affectiones.*

**A**T propriis etiam foeminae praecordiorum affectibus corripiuntur ex peculiaribus cauſis, quae in illarum ſexu panduntur, illico deducendis: Saepè enim Hysterica paſſione laborant, atque harum aliquas ego ipſe novi inſolito perciſtas inſultu, vixque plurium hominum viribus obtemperantes. Ad convulſivorum motuum classem referendum eſſe talem affectum quispiam benè cordatus homo non inficiabitur, cum id ex iplis effectibus deducatur. Quatitur itaq; universum corpus, cordisque advenit tremor, & palpitatione, ex qua arterioſa vasa cordi proximiora immanem aliquando pulsationem adipiſcuntur. Puellam me quondam vi- diſſe memini magno admodum animo, validoque condecoratam corporis habitu, quindecim circiter annis natam, paſſione Hysterica laborantem. Haec ſpasmodico ſenſim crescente paroxysmo tali corripiebatur cordis palpitatione, ut vel ab iis, qui ad eam in viſendam convenerant, eti a lecto non parum remotis, exaudiretur. Anterior thoracis pars elevari quodammodo videbatur, ac ſi peracta in costis preſ-

P ſione

sione sternum assurgeret (*a*): Talia vero phoenomena in posteriori remissius agebant; cordis tamen ictus maximoperè adauerti apparebant (*b*). Id tamen admirationem quamdam extorquere vel maximè videbatur, quod nimirum externae carotides arteriae, atque iugulares venae suam adeo diametrum extenderint, ut modo triplo, modo quadruplo maiorem habuerint. Mammae insuper, quae nuper sordiori coeperant, multum creverant mole sua, & liviscentibus foedari maculis, sensimque tumescere quodammodo videbantur. Omnis denique corporis ambitus ruborem, internumque, ut illa asseverabat, calorem contraxerat, qui declinante, gradatimque evanescente paroxysmo deper-

(*a*) ipso etiam existente Aneurysmate validissimae adveniunt pulsationes, veluti se vidisse anno 1605. testatur Hildanus, cui Aneurysma perscrutari contigit, quod totam sinistrorum thoracis partem ad sternum, & collum usque occupaverat, pulsationem habens adeo vehementem, ut elevari vestimenta conspicerentur. Vid. O's. Chirurg. Cent. III. obs. 43. pag. 225. Francofurti ad Moen. 1682. Monendum interea, non raro ex ipsa diurna cordis palpitatione Aneurysma fierita ut quod Aneurysmatis quandoque syntoma est causa exinde fiat. Adducta insuper palpatio, quae ab ipso quoque pericardii hydropoe excitari potest monente Tulpio Observ. Medic. I. II. cap. 26. Lugdun. Batav. 1716. cum praeternaturali, eaque excedenti cordis amplitudine copulari potest. veluti animadvertisit Heurnius Observ. rar. Histor. 28. Lugdun. Batav. 1609. ex qua pericardium distendi admodum solet, licet ex ipso affluentι latice distendi facile possit, sicuti observaverat Carolus Piso De morb. ex colluv. seros. oriund. sect. III. cap. 11. Mussipontii 1618.

(*b*) Idipsum an. 1717. in foemina 22. ann. observaverat Gherlius Observ. di Medicin. &c. Cent. II. P. I. Observ. 36. pag. 195. Venezia 1753.

deperdebatur. Cuncta interim haec festivis, in quos fortunae blandientis ope advocata fuerat, adventanti- bus hymenæis, protinus evanuere molimina eluden- do selectiora quaeque nequicquam profutura medica- menta. Veruntamen cum debili fibra mulieres coale- scere Medici penè omnes agnoverint, alienum a ve- ritate nullo pacto videbitur affirmare, eas plusquam homines praecordiorum Aneurysmate laborare, quod haud raro in partu ipso propter illos, quos peragere conantur foeminae conatus contrahitur. Quinimmo & ipsa adstipulatur rationibus experientia rerum omnium magistra, ex qua evincimur, rarius huiuscmodi mor- bos in viris, frequentius tamen in foeminis depre- hendi. Et sanè Epilepticis seclusis insultibus raro qui- dem advenientibus non infrequens agnoscitur in mu- lieribus Hysterismus ad concussionem immanem in ea- rumdem corpore inducendam accommodatus, ex quo praecordiorum Aneurysmata persaepè usuvenire posse multis demonstrari posset rationibus cuique conspicuis. Praeterquamquod si ab ineunte aetate talis affectus exordia sumpserit, veluti fieri posse demonstratum fuit (§. xxviii.), facile omnes intelligunt, ex Hy- stericis concussionibus morbum in lucem prodire, qui multis mensibus delituerat. Nisi itaque optimum, robustumque corporis habitum foeminae sint asse- quutæ, enumeratis facile succumbent aegritudinibus.

## §. LVIII.

*Puellarum aegritudines nonnullae.*

**N**eque aliter in Pica morbo foeminis, praesertim puellis, familiarissimo decernendum occurrit: Ipsae enim ex ingestorum abusu ita disponuntur, ut nil esse autument creta, carbonibus, similibusque cuperdiis delicatius. Quum autem planè constet, utique Hystericam ex huiuscemodi affectu passionem emergere consueisse, ex qua concussions oriuntur innumerae, hinc & Aneurysmata patefieri posse suspicandum. Quamobrem illud cumprimis observatu dignum videtur, quod nimirum in assignanda frequentiorum quorundam effectuum causa error aliquis semper in transigenda vita perpetratus deprehenditur. Quoniam vero pleraque mulierum, quae procreandae soboli vacare decreverunt, prolificam persaepe auram in ute- rum excipiunt, hinc & in ipsis rarescit sanguis, atque velocius per canales adigitur, qui, nisi valida ipsae stipentur textura, haud difficulter impellantis sanguinis viribus cedent, usque dum laxitas quaedam in internis superveniat arteriarum parietibus, ex qua faticere compellantur. Neque absolutè decernendum, mensium fluxum sequiori sexui caeteroquin saluberrimum, si modum excesserit, detrimentum afferre posse, etsi inchoatis depellendis grumescentibus materiis possit aliquando idoneus esse (§. XII.): Liquet enim, ex imminuta nimium sanguinis quantitate eiusdem immutari per arteriosa vasa celeritatem (§. LXXI.), pariterque Hystericas affectiones cum mensum suppressione

sione confociari, ex qua si morbus aliquis in praecordiis incoepit, patefiat: Obstructio enim quaecumque valida sat est ad vitium incoptum, & latitans in apertam planè lucem collocandum. Porro quoddam mihi contigit in foeminis observare phoenomenon, quod nempè quibus in praecordiis Aneurysma permagnum extiterit, in iis ut plurimum menstruae suppressae purgationes deprehendantur. Quam vero usuvenire minimè posse videatur, ut constituto Aneurysmate mensium enascatur suppressio, ne dum promoveri possit, veluti ex valida circa tumorem Aneurysmaticum exorta pulsatione deducitur, cum haec concitatum cruris motum supponat, hinc potius ex totali suppressione suspicabitur aliquis, allatum vitium exoriri consueuisse. At ea, quae de praeternaturali pulsatione dicenda sunt, circa tumorem conspicua fieri compertum est, quin concitator arteriae alicuius motus usquè ad inferiora vasa protendatur. Mensiam itaque suppressione ideo suborta quandoquè praenoscitur, sive quia maior cruris affluxus in satis ample tumore perficitur, sive quia eiusdem plaethora, ex qua huiuscemodi fluxus ad erumpendum disponi solet, ex ipso Aneurysmatio tumore aliquatenus remoratur. Neque dubitandi locus est, ex eadem suppressione Aneurysma ipsum efformari posse si diuturna admidum sit: Sanguis etenim retropulsus internum maiori vi arteriarum ambitum comprimet, adeo ut excedenti quantitate sua aliquam moveat sensim dilatationem. His ulterius additur, quod sanguis ipse è corde propulsus idem ex superaddita inferius resistentia efficere potest, quin aliae accenseantur causae validiores.

diores (a). Ut igitur decerni possit, num ex Aneurysmate producatur allata suppressio, sive ex huiusmodi suppressione ipsum dignatur Aneurysma, videntum superest, utrum post diuturnam suppressionem detectum fuerit, tuncque ex ea profluisse credendum est; sin vero contrarium contigerit, aliter cogitandum esse decernitur.

### §. LIX.

#### *Menstruae purgationis suppressio.*

**S**Anguinis insuper quantitas maior extat in foeminas, quam in viris, nec non relativa plaethora vel dum menstrua supprimuntur adesse debet. Nil ergo mirum, si intercipiatur cruoris eruptio cum insignis obstructio canalium adest, si praecipue sanguinis lento cum crassitie copulatus advenerit: Tunc etenim superabit evacuationem additio. Praepedito itaque ad inferiora affluxu, auctaque sensim illius quantitate, uniformi pressione, nec non aequabiliter arteriarum parietes minimè comprimentur. Quod si aequalis ubique non sit resistentia, sed in aliqua vasorum parte imminui facilius possit, sanguis ibidem vasis extendet diametrum, idemque vas ad Aneurysmaticum suscipiendum vitium determinabitur. Id tam  
men

(a) Inter has menstruae purgationis constitutio recenseri posse videtur, quae nonnumquam erosivam contrahere naturam potest, ut monuit Stentzelius *Comm. ad Lindeholp. De ven.* pag. 144. *Francofurti, & Lipsiae* 1739.

men innuisse visus est Freindius (*a*) dum affirmavit, quod nempè ex huiuscemodi suppressione oboritur arteriarum pulsatio, ex qua venarum varices, ad praecordia anxietas, atque aliquid aliud longè molestum vasis cardiacis evasurum. Haec autem magis in aorta ascendentे observantur, cum descendenter trun-  
cus amplior in foeminis, quam in viris fuerit consti-  
tutus (*b*). Infertur igitur, pulsationem, motumque  
sanguinis subitum magis in foeminis esse debere, adeo-  
que morbum facillimè recrudescere: Nam ex amplio-  
ri vasis diametro eruitur, maiori sanguinem impetu  
adigi verius inferiora, qui tamen impetus ad pro-  
movenda catamenia ineptus evadit, si uteri, & va-  
ginae vasa firmiter conglutinata textura coaluerint.  
Parcius fluunt in puellis pubescentibus menses, ac fo-  
minas annis graves nihil admodum torquent. Soler-  
tissimè tamen observatum est, quod in puellis men-  
strua nondum passis saepè ante fluxum mammae in-  
tumescunt, pariterque in nonnullis foeminis instantे  
memorato fluxu venter mole grandior evadit, ut pe-  
nè Tympaniticae videantur. Ex his deducitur, plae-  
thoram ex qua eruptio pendet, insigniter adauictam  
esse, atque impedimenta primo impetu reperiri non  
tam facile superanda, ex quibus aliquando cardiacos  
exoriri affectus posse concludimus.

## §. LX.

(*a*) *Emmenolog. cap. 10. Oxonii 1703.*

(*b*) Haec tamen amplitudo a pressione ventriculi, aliarum-  
que partium oriri, & a superaddita pulsatione augeri facil-  
limè potest. Vid. *Woodward Idea of the naturae of man.*  
*London 1725.* Latinè vertit, & Tiguri edidit librum hunc  
Jo. Jacob. Scheuchzerus.

## §. LX.

*Artificum quorumdam Aneurysmata.*

**N**eque tam viris, quam foeminis praecordiorum Aneurysmate laborantibus extraordinarium corporis situm diutius persistentem officere denegaverim, quin potius eorum nonnullis ex ea, quam profitentur, arte allatum morbum facile supervenire crediderim, si inordinatae corporis mutationes fuerint admodum diurnae. Videmus itaque artifices quosdam, qui dorsum incurvare necessaria, ac perniciosa obstricti lege varios contrahunt morbos, quos graviores sensim evadere posse ex assidua exercitatione deducitur. Nequè mehercule ex eorumdem numero literatos homines delendos censeo, qui sive legendō, sive scribendo pectus inclinant, quandoquidem horum plerique longa annorum serie gravissimos sibi morbos accersunt dum communi literariae reipublicae invigilant incremento. Qualescumque igitur huiusmodi perfungi debere muneribus perspectum est, ad quae rite obeunda assidua requiritur corporis incurvatio, Aneurysmate quoque affici quandoquè credendum est, veluti experientia ipsa rerum magistra observatoribus demonstravit. Dum interim curvato dorso inclinatur pectus, omnia propemodum abdominis viscera fortiter comprimuntur, ex eaque compressione fieri nequit, quin & arteriosa vasa, quae in viscera ipsa sanguinem ferunt, aliquatenus comprimantur. Propriam ergo diametrum angustiorem habebunt adducta persistente compressione, ex qua diametri imminutio-

ne maior illic consequetur sanguinis impulsus, ubi viscerum compressio peragitur. Sanguis proinde, qui per aortam ad reliquas defertur arterias, eandem haudquam asservabit vim, quam tum peragebat, cum reliqua vasa quolibet vacabant impedimento. attamen eaedem fient a corde expansiones. & ex aorta sanguis impetu magno trudetur in eas partes, ubi pressio suborta est. Magnam arteriarum tunicae subeant vim oportet, usque dum corpore in pristinum statum restituto remora sanguinis motui interposita protinus abiiciatur. Arteriarum tunicae caeteroquin firmiter fabrefactae sensim extendi posse texturam internam concluditur, atque ex assidua distensione, multum ampliari usque dum Aneurysmaticus tumor exurgat, quem eo propinquiorem cordi futurum coniicitur, quo maior incurvatio corporis extiterit. Haud aliter de corde ipso statui posse videtur, quod si ex retropulsa quadam sanguinis quantitate persaepe afficiatur, facile quidem censendum est, maiori ipsum mole stipatum latiores exinde ventriculos habiturum.

### §. LXI.

#### *Validarum tussium noxa.*

Præterea illud idem in adultis quoquè decernendum videtur, quod de pueris ipsis iam annotatum est, qui ex diuturna, eaque valida tussi saepè saepius infirmantur, & ad suscipiendum Aneurysma satis facilè disponuntur (§. xxxvi.): Nam & ipsis in adultis talem effectum mihi crebro contigit obser-  
vare. Vir quinquagenario major iam ex multis men-

Q

sibus

sibus vehementi tussi corripiebatur, ex qua propter concussions longè diurnas herniosus evaserat. Hic Ianuario mense anni 1756. in Florentinum Nosocomium venire decrevit, cum praeter caetera ipsi familiaria syntomata dolorem circa medium sternum, & valde molestum anhelitum cum intermittente pulsu coniunctum experiretur. Pulsatio permagna in praecordiis advenerat, cui molestus admodum subiectebatur decubitus, cunctaque progressu temporis signa detecta sunt, ex quibus cardiacum vitium solet emergere; vehementia tamen syntomatum iam ex duabus mensibus tum detecta fuit ab aegrotante, cum ex molestissima tussi quamdam veluti dissectionem in praecordiis persensisset; id quod planè videtur ostendere, adultos quoque homines, eti validiori donatos fibram firmitate, facile ex obstinata tussi praecordiorum aegritudinibus obnoxios fieri. Idipsum in quadragenaria muliere eodem mense observavi, quae integro ferme anno tussim passa fuerat vehementem. Quamcumque igitur immanem concussionem ad Aneurysma circa praecordia promovendum accommodatam esse posse innotescit.

## §. LXII.

### *Aneurysmata cuiuscumque arteriae.*

**Q**uae tamen usquè adhuc producta sunt vera recipiunt praecordiorum Aneurysmata, quae sensim vel in ipsa pueritia fiunt, gradatimque augmentur, donec pro data qualibet occasione patescant. Illud tamen unum vel maximè superest adnotandum, quod nimirum ea penè omnia, quae de Aneurysmaticis prae-

praecordiorum aegritudinibus effati fuimus, aliis quoquè arteriosis universi corporis vasis aptari possunt, prout varii considerandi semper occurunt effectus ex maiori, minorive cordis vi ultiro prodeentes. At vero spuria quaedam quandoquè observantur Aneurysmata, quae ignoratur sanè, utrum a vero, & paulatim adactus profiscantur, vel utrum repente contingant. Ego equidem arbitrarer, perarduam sanè non esse provinciam decernere, quaenam sit huius affectionis origo, ut proinde priorem ab altera quivis distinguat, si ea, quae in toto vitae curriculo quisquis aegrotantium peregerit, praenosci valerent: Fieri namquè posse non videtur, ut qui huiuscemodi affectionibus infestantur, ne minimum quidem in aliqua ex adductis supra rebus deliquerint. Quum autem ex assidua, eaque repetita observatione nulla nascatur de talibus effectibus disputatio, pariterque haud alienum a veritate sit repente fieri, atque ex improviso manifestari, hinc maxima in tempore, loco, & varietatibus assignandis exoritur difficultas, cum de illo praesertim sermo fuerit institutus Aneurysmate, quod circa praecordia genitum internoscitur. Id tamen admiratione, atque animadversione simul dignum videtur, spuria nimirum Aneurysmata frequentiora esse, quam plerique Medicorum censeant, ceu iteratae ostendunt cadaverum incisiones. Quam multos profecto ex forti Apoplexia protinus erectos assidue conquerimur, eosque vere Apoplecticos occubuisse dicitamus: Attamen dissesto nonnumquam cadavere nullum in nervis, & cerebro, aliisque partibus vitium deprehensum fuit, sed arteriae alicuius discissio, omniumque tunicarum eiusdem erosio reperta est. Hydrope olim laborasse repente progenito autumaverat

Medicus quidam aegrotantem , qui cronicō antea morbo correptus fuerat, ex quo Hydrops superadditus credebatur. Diuretica itaq̄e propinanda esse putabat medicamenta , cum ex his, uti audacter nimis spoponderat , valetudinem exinde expectandam esse planè consideret . Haec tamen cum in irritum cedissent , improvisus tandem interitus cunctorum vicit expectationem . Ex Hydrope tamen è vivis excessisse communis fuerat omnium consensus , cum paulo antè obitum magnoperè abdomen intumuerit aegrotantis , talibusque stipari videretur morbus indicis , ut verum Ascitem aemulari propemodum appareret . Instituta proinde cadaveris sectione , non serum , non aqua , sed cruentus prodiit gurges ex aortae trunco circa emulgentes discisso proveniens . Adhuc opusculum hoc prima vice sub praelo sudabat , & nondum dimidium mensis Aprilis anni 1656. incooperat , quo Vir quidam ex Aneurysmate vita functus opportunam peragendarum observationum occasionem praebuit Anatomicis . Itaq̄e supra caetera , quae mihi aliisque contigit animadvertere , ventriculus insigni mole redditus inventus est , totusque refertus sanguine , qui ex Aneurysmate in aorta constituto profluxerat . Aneurysmaticus interea tumor , qui oesophagi parietibus adhaerbat , paulatim discissus talem sibi transitum aperuerat , ut permagna sanguinis quantitas in ventriculum ipsum delapsa fuerit , & non exiguum Viris clarissimis , qui adfuerant incisioni , admirationem pepererit . Verum enimvero & ipsae aliundè visae sunt totales anastomoses Medicorum admirationem non mediocriter excitantes . Triste profecto inopinatae anastomoseos in subclavia dextera eventum , ex quo mors

sub-

subsequuta illico fuit, in milite detexit Malvetius (*a*), casusque persimiles alio legitimus memoratos ex huicsemodi manantes affectibus, modo hoc, modo illud arteriosum vas sufficientibus (*b*). Sed quid praestat ab aliis historias mutuari, cum ego ipse casum persimilem, & maioris fortasse momenti contigisse reminiscar?

### §. LXIII.

#### *Peculiaris observationis descriptio.*

DUM PISSIS degerem anno 1751. naturalium primordia rerum in illa Scientiarum aula celeberrima percepturus longè funestum observare mihi contigit infortunium: Vir enim circiter quinquagenarius, sarcinator, Hypocondriacus affectionibus obnoxius, violentis exercitationibus vacans, pilae praesertim ludis assuetus, cupidiis, ac vino meraciori, eiusque spiritui nimium indulgens, temperamenti sanguineobiliosi, florido nimium perfusus colore, iracundia concitari solitus, dum ingruente veris tempestate die quadam edulia optima, & delicatoria ingurgitasset, ac generosa vina bibisset, dormitum abiit. Non multo post a somno expergefactus denuo biberat, unaque cum sociis ad relaxandum animum in publicum sese locum contulerat, ubi scrupis ludendo dies conterere consueverat. Mirabantur admodum circumstan-

tes,

(*a*) Vid. *Histoire de l' Academ. Royal des Sciences an. 1721.*

(*b*) Dexteram thoracis cavitatem repletam sanguine, qui ex aortae Aneurysmate repente discoflo profluxerat, in incisione cadaveris deprehendit Bonetus. *Sepulchr. Tom. I. l. 2. sect. 2. pag. 584. Genevae 1700.*

tes, illius faciem, & oculos ruborem plus aequo contractisse, cum accensos carbones aemulari propemodum videretur. At de praegressa vini sumptione commonefacti obstupecere illico desierunt. Porro nonnisi scommata, & vaniloquia ex eiusdem ore prodibant, & modo ululatus, medo gemitus emittebat, modo vero repente clamitans meticulosus trepidabat, habebatque adeo tremebundus, ac si circumstrepentium instrumentorum sonitum persensisset, cunctaque contractae temulentiae syntomata sensim adaucta præseferebat. Dum interim expostulare videtur occasio, ut ex assidua ludorum iactura contra sortem sibi nimium adversam protervus invehieret, iurgiis adversus amicos prolatis ad maniacas rixas gradum fecisset, nisi circumstantium accessisset impedimentum. Qui vero ad haec auscultanda arrestis auribus adstabant, cum iam advesperasceret, & ludentis, simulque pendentis animum introspicerent, suaserunt ei, ne iram in illos evomeret, ut domum se reciperet, id unum rati, quod nimirum ex sanguinis missione post aliquod quietis intervallum instituta mitiora evasura forent syntomata. Ast ex adverso res cessit: Cruento namquè gurgite ex ore fluente oppressus repente fuit, & in mortis censem deductus. Palluit illico facies, atque universum corpus, quod verè athleticum putabatur, in tetram, luridamque cadaveris formam, ac si longè diuturna laborasset Cachexia, vel insanabili Marasmo correptum esset, fuit post interitum commutatum. Insolita qui illuc advenerant perculsi formidine, Medico, qui accitus perrexerat, suaserunt, ut ex anatomica cadaveris incisione rupturae locum internosceret. Lustratis itaqù illius corporis cavitibus, cunctisque exploratis visceribus, pulmonalis ar-

te-

teriae totalis discissio fuit deprehensa, ex qua duodecim protrusae sanguinis librae statim post discissionem eruperant, & plures forsitan erupissent, nisi post eius obitum obturaculum faucibus apposuissent. En igitur funestae tragediae adumbrata narratiuncula legentium fortassis animum non levi terrore percellens.

## §. LXIV.

### *Allatae observationis conjectaria.*

**A**rteriarum in blucra firmitate quadam gaudere compertum est (§. vi.), pariterque unicuique innotescit, citra plaethoram erosivum quoddam principium in sanguine delitescere (§. li. LXXIII.). Quapropter utraque in adducto casu ad anastomosim producendam conspirasse visa sunt: Insignis namquæ plastrora in huiusmodi viro semper extiterat, atque ex pravo sui ipsius regimine sanguinem ad erosivum suscipiendum principium fuisse paulatim dispositum coniendi suspicio adest, quandoquidem generosa affatim vina quotidie sumphisse exploratum est, ingesta praeterundo, quae non parum obesse possunt (§. xxviii. liv.). Analysis Chymica ostendit, quidpiam tartareum, salinum, oleosum, atque sulphureum in vino plus minusve contineri, prout in diverso climate fermentescit, & varia methodo conficitur. Haec tamen in fervido musto mirè affluunt, cum in illo spiritus acer, accredine nares feriens, subacidulus, & multum elasticus fuerit deprehensus. Enimvero huiuscemodi partes cum fermentationis ope dissociari nequeant universae, semper aliquid acre supererit, eiusdemque

insuper vini spiritus ex oleo quodam coalescit , quod ab acido, & volatili sale in ipsa exaltatur fermentatione. Talibus ergo positis partibus, quae ex assidua vini, eiusdemque spiritus assumptione magis magisque augentur, & ad vehementius agendum disponuntur, appareat, internas arteriarum tunicas ex plaethora distentas , ac veluti diductas ita ab acribus particulis affici posse, ut eaedem tunicae a nativa constitutione degeneres usquequaquè dissiliant . Vinotae substantiae vis, quae intus vasa corporis oboritur, absquè evidenti fervore fieri solet, & si quid immutatum agnoscitur , iis orbatur indiciis , quae sensibus evadunt conspicua. Ipsa tamen inchoata eiusdem actione, omnes, quae extant in corpore quaquaversum diffusae fibrae laxari incipiunt, eoque magis, quo maior vini quantitas assumpta est, pariterque vasa singula tument, ut sibi non amplius concinnè respondere prohibeantur, dum alternae contractiones, distractionesque debita virium proportione destituuntur. Interea fieri nequam potest, quin ipsa quoquè fluida adeo iacentur, ut concitatori impetu vasorum parietes violenter percutiant: Iisdem enim activas, quibus circumfusa sunt, partes ex universa fluidorum massa exturbare dengatur.

### §. LXV.

#### *Aucta arteriarum, & sanguinis vis.*

**Q**uoniam vero qualicumque seclusa humanae machinae textura ab incunabulis debili , & languida proveniente , arteriarum earumdem firmitatem , illarum praecipue , quae circa praecordia versantur , in

in allato casu debilem arguitur evafisse, illud unum videbatur superesse, ut nempè aliquid admodum vehementis oboriretur, ex quo repentina discissio congeret. Id autem advenisse ambigi nequit, si ea, quae inconsulto adductus homo peregerat, expendantur: Respirationem namquè, cordis vires, omnesque corporis actiones adauatas fuisse nemo inficiabitur, cum ex aspectu duntaxat ad iram composito, & ob vini qualitatem, & quantitatem extuante, ac supra modum immutato deduceretur. Si ergo sanguis qualitate, & quantitate delinquendo in partem minoris resistentiae validos, & praeter naturales ictus impegerit, continui quaedam solutio sanguinis respondens viribus subsequetur. At vero cum validissimae in eo, de quo meminimus, viro extiterint vires, maioris momenti effectus expectandus erat (§. XLVII.), veluti demonstravit arteriae pulmonalis anastomosis ex eadem protinus dehiscente superveniens. Ergo validis opus est causis ut magni momenti pandatur effectus, ad quem producendum non modo adauata requiritur actio, sed aliqua insuper dispositio, quae diu multumque perseverans tandem aliquando pro data qualibet occasione in apertam lucem prodierit. Ea interim, quae huc usque effari placuit, ad peculiares quasdam, atque praecipuas affectuum Aneurysmaticae indolis causas pertinent. Quum autem peripectum sit, cuncta haec in eo sita esse, ut nempè tum huiuscemodi affectiones insurgant, cum aliqua in humano corpore suboritur vis valide nimium agens, hinc innumera penè ad id efficiendum conspirare valent, quae cuivis innotescunt, quin de his sermo speciatim instituatur, & quae

R

lucu-

luculentam satis dicendi materiem praebent, si cum iis, quae innuere voluimus, conferantur.

## §. LXVI.

### *Medicorum observationes.*

**H**is cursim raptimque delibatis, monendum superest, permultas variis in operibus Medicinae procerum historias reperiri, plurimasque una simul collectas perlegi observationes in Actis praecipue Medico-Physicis (a), ubi praestantissimae extant cardiacarum aegritudinum descriptiones tum ad immanem, eamque praeter naturalem cordis amplitudinem, tum ad Anevrismata in praecordiis progenita spectantes. Cor itaque ibi videbimus non modo magnum, planum, minimèque globosum, valde pingue, ponderosum, esangue, calculisque refertum fuisse observatum, sed inversum, distortum, unum habens ventriculum, duris tuberculis obsitum, atque hydatidibus refertissimum repertum fuisse, ita ut eius magnitudo, quae talis esse ferme solet, ut periferia 14. longitudo sit 6. & latitudo in base 4. pollices non excedat, non solum iusto minor, sed multo maior reperta sit, uti in abortu humano deprehensum aliquando fuit, nec non in adultis hominibus, atque in canibus, quorum cor vitulinum longe superans visum est. Talia vero cum

(a) Huius generis observata patent simuli congesta ex synopsis Kellneriana *Observ. Med. & Phys. Academ. Caesari Leopold. Carol. Nat. Cur. Norimbergae 1739.*

Aneurysmate haud raro copulantur, veluti de Aneurysmate pulmonalis arteriae dicendum foret cum auricula cordis dextera monstrosa coniuncto, nec non de illo, quod in aorta ascendentē (a), & in externa

R 2 caro-

(a) Non raro solet usuvenire, ut constituto in aorta quovis impedimento innascatur etiam Aneurysma, veluti praexistentē polypo deprehenditur. Atque id in cadavere Caroli Patini observavit Alexander Knips Macoppe, qui polypus in aorta locatum esse reluctantibus aliis, qui se ad aegrum invisendum contulerant, pronunciaverat. Quamobrem non abs te factū censeo, si quaedam ex eiusdem transmissa ad aegrotantem epistola nunc afferantur morbi argumenta, ex quibus illius sedem, naturamque deduxerat, ceu instituta postmodum sectio cadaveris praemonstravit. Sic itaque in eius epistola legitur, quae Brixiae anno 1731. denuo lucem aspexit §. III. pag. 3. Quae ergo, ait ille, ex morbo iliade excerpti haec sunt: Te scilicet ex valida, & actina constituzione sexagenarium factum, sollicitudinum varietate, ac literariis laboribus attritum, vitaque sedentaria emollitum, duobus ab hinc annis in faciei pallorem, cachecticum habitum, & aliqualem extreborum emaciationem inclinasse, cum pulsu inaequali, & perturbato, ac Dysphnaea, praecipue dum per plana inclinata digrediebaris, Ptyalismo aliquando copioso, albo, viscidulo, nulla vel tenui tussi, nullo dolore, aut pondere in praecordiis, vel in dilatatione, aut constrictione thoraci sensibili, nulloque sonitu, aut stertore in respiratione, sed cordis anxietate, tremore, vel levi palpitacione per vices exarcebatis; quibus affectionibus phlaebotomia, satharticus, beccicis, ac sudorificis mederi consilium cum fuerit, in hypochausto excitato sudore, omnia symptomata exasperata fuisse, ita ut Ortophnoicus summo vitae discrimine factus fueris, a quo repetita venae sectione emersus, etsi per viginti circiter dies symptomata omnia parum relaxari visa sint, denuo tamen sensibilem cordis palpitacionem, respirationem concitatam, anhelosam, ac cum efflatu, uti festi-

carotide post auris helicem repertum legitur, modo ex violenta in pilae lusu commotione, modo ex in-  
 festinibus, ac praefocatis contingit, inordinatim, et si  
 noctu praesertim, vel quacumque levi corporis inclinatione,  
 & membrorum agitatione recurrentes, cum pulsu continuo  
 inaequali, deficiente, ac recurrente exacerbatas fuisse, qui-  
 bus etiam recrudescientiis repetitam phlaebotomiam, quae san-  
 guinem densae texturae, cum crassamento glutinoso ad instar  
 membranae superextenso exhibuerat, uti in inflammatoriis af-  
 festibus appareret, opem tulisse fertur. Quum autem publico  
 spectaculo exponendum occurreret insigne cadaver, quod vi-  
 vendo literarius orbis adoraverat, virumque decebat, qui  
 admodum publicae utilitati indulserat, permulta sese obtu-  
 lerunt examinanda, quae ex eadem epistola depromuntur.  
 Primo itaque (sic laudatus loquitur Auctor §. LVI. pag. 71.)  
 diducto sterno, nulla aquarum eluvies in thoracis cavitate  
 visa est; solummodo dexter pulmonum lobus a sterno ad ver-  
 tebras, usque valida membranula pleuræ adnatus erat. Hinc  
 producta sectione, perlungatis infimi ventris visceribus, nul-  
 la tabes, praeter iecur tetro quodam rubore suffusum, cystim  
 felleam collapsam, bile semioppletam, lienque potius exte-  
 nuatum emicuit. Spiritalibus ergo visceribus exemptis, per-  
 trahato pulmone, in nullam tensionem, duritiam, vel consi-  
 stentiae inaequalitatem impigimus, & diversimode dissecto ab  
 interna substantia, nil praeter condensatum cruentum efflu-  
 bat, nulla vomica, vel tuberculo enitente, nulla phlegmatis  
 massa intra bronchiales fistulas intercepta. Verum ad cor acce-  
 dentes arteriam magnam ita dilatatam offendimus, ut aliud  
 cor in pericardio conclusum aemularetur; cum etiam tunica  
 dissecta corpus cordi simile erueretur. Huius tamen textura  
 diligentius examinata, polyposam esse concretionem comperi-  
 mus. Excedebat namque anserini ovi grandioris magnitudi-  
 nem, trium, quatuorve unciarum pondus exaequans, figura  
 cardui cinarae fructui haud dissimilis, tendinous principiis,  
 brevibusque protractionibus, aortae radicibus supra semiluna-  
 res

terno vulnere, modo demum ex vehementi tussi dependens. His quidem perspectis ad alia non inutilia progredimur.

## PARS

res valvulas innixa basi; deinde latiori ventre soluto in seratum, vel laciniatum apicem desinens, ad divaricationem usque arteriae porrigebatur; haud tamen mortae parietibus quasi cartilagineis ita coaptata erat, quin relictis rimulis quaedam liquidi quantitas non interfueret. Substantia atram ferens rubedinem, spongiosa, seu fungosa potius percipiebatur, quae in viginti amplius cortices, sive laminas membranosas distincta glomum involutarum membranarum referebat. Exterior cortex durior, & tuberosus erat ex fibrarum fasciculis profilientibus, & in nodos quosdam collectis. Interiores vero fere undique similes tortuosum, seu anfractuosum ductum aortae dilatatae diametro subtriplum, mollibus columnulis sanguine turgidis, & sinuosis flexibus interpositis, uti cordis interiores parietes, variegatum, levique muco oblinatum, & grumis sanguinis infarctum exhibebant, qui intra aortae cavitatem alteram arteriam efformabat. Densior textura, & quasi cartilaginea ad basim erat sensim ac sensim gracilis, quoque ad apicem friabilis ferna evaderet. Unum tantum fibrarum genus microscopio etiam deteximus a basi ad apicem oblique, & spiraliter quasi excurrens, inordinato tamen, & interrupto ductu a tendinis quibusdam vinculis, seu filamentis, quae fibras in membrulas extensas ita colligabant, ut brassicae capitatae folia reprobarent, intermixtis pluribus porositatis, seu alveolis ictore sanguineo refertis. Hinc apertis cordis sinibus dexter inanis erat, sinistram grumis sanguinis infarciebatur, polyposis rudimentis intra columnas tendinosis radicibus insertis, a quibus haud sine laceratione divellebantur. Sinistra auricula ita coagulata sanguine replebatur, ut serositas ipsa immixta secederet. Pericardium nec flatu, nec aqua distentum erat, imo exhaustum consperimus.

## PARS TERTIA.

## §. LXVII.

*Curationis institutio.*

Parum, aut nihil profecto aegrotantibus viderer opitulari, si praecipuis adductis frequentissimi morbi causis, eiusdemque pravis effectibus, seorsum circa curationem, quomodocumque conveniat, pauca quaedam haud inutilia ego ipse tacitus praeterirem. Quum autem nequicquam a curativa medendi methodo quempiam impetrari posse ingenuè fatear, maiorem tamen vitae longaevitatem a conservativa fore expectandam reor, etsi ex utraque ea petenda esse credendum sit, quae non modo adductum morbum lenire valent, vel ea eruenda, quae diuturniorem praeexistente adhuc morbo lucis usuram, & valetudinem reducem pollicentur. Errata quaedam haud magni momenti evitari facile posse exploratum est, quando quidem sedulitas adhiberi velit, cum illa quoque non nisi difficulter praenoscenda attentionem quamdam promereantur, cuius auxilio praecaveatur aegritudo, ex qua vix evadendi locus fortasse superest cum prolix incooperit. Quamobrem licet absoluta, & tutam simul nequeat institui curatio, duo tamen maxime proficia tentanda sunt, atque a prudenti Medico aegrotis insinuanda, quae in hoc sita esse videntur,

tur, ut determinatae nimirum praecautiones, quae exitialem morbum impedire valent, nisi aliquod interponatur impedimentum, usurpentur, eaque neutiquam contemnuntur, queis vigente iam morbo longius vitae spatium deducitur esse tribuendum. Quum vero dupliciter praecordiorum Aneurysmata consideraverim, quatenus nimirum in *infantia* exoriuntur, & in *virilitate* palam fiunt (§. xxviii.), nec non consistente iam aetate graviora evadunt (§. LXII.), duplarem, & accuratam adhibendam methodum censeo, ex qua, si fas est, morbi leniatur saevities, vitaque longior absquè ullo nanciscantur aegrotantes incommodo, siquidem patet, prolatos affectus, ni recruduerint, ad plures annos protendi (a). Ad impedimenta in iis removenda, qui facilius ex ea, quam nacti sunt, corporis imbecillitate cardiaco succumbere creduntur Aneurysmati, plurima conferre perspectum est. Verumtamen optima tractandae pueritiae solertia exigenda est a parentibus, ne in puerorum corporibus moribus, qui nosquam extiterit, repente nascatur, utque fibrarum debilitas, si quae praegressa fuerit, protinus abigatur. Quod si bona primordia obtinuerint puerorum corpora, & in eorumdem incremento

nul-

(a) Foemina in iuventute contractum Aneurysma ultra 50. annos sospes gestavit. Vid. act. Erudit. Lipsiens. an. 1692. pag. 220. Tunc autem quaedam veluti curatio a natura promovetur, quae artem in propriis operibus longè superat: vel enim Aneurysmatis parietes callosi fiunt, vel naturalis quaedam peragitur compressio, vel aliud quidpiam paulatim agnoscitur aegrotantibus contigisse, quod praecipitem morbi huius eventum comitari nequaquam debuisse. Vid. Lanzoni Oper. Tom. III. pag. 420. Lausannæ 1738.

nullus error accesserit , tunc morborum semina , si quae fortè delituerint , infringentur , aditusque aliis intercludetur . Praecordiorum Aneurysmata in ipsa quandoquè fieri pueritia demonstratum est , ac supra caetera ciborum delectum non probè constitutum huiuscemodi paulatim aegritudines producere posse adnotavimus (§. xxix.) : Quemadmodum itaque ex hoc fonte affectiones adductae cum primis promanant , animadvertenda nonnulla sunt , parentibus , aliisque puerorum custodiam habentibus necessaria , quae si attentato iphi animo cogitarent , non tam frequenter filios valetudinarios intuerentur .

### §. LXVIII.

#### *Lac diu infantibus exhibitum.*

**P**rava apud nonnullos invaluit consuetudo , ut paucō nimirum temporis intervallo lac infantibus propinetur cuius sumptioni malorum miscela ciborum nullis adhibitis cautionibus adiungitur . Universa prindè puerorum machinae compages saluberrimo orbatur alimento , cuius vices alios arduae digestionis cibos explere consuevit prospicimus . Nunquid ergo progressiva optimè accretio fiet , si necessaria perfrui substantia puer prohibeatur , dum alia quaecumque dissimilis prorsus indolis deferuntur ? Minime gentium Nulli dubium , quin fibrarum laxitas tunc exoriatur , dum aetati adversa materies ingeritur : Ut namquè satis fortes evadant fibrae , materies adesse debet , quae praegressis viscerum omnium , omniumque vaso-

rum actionibus postremae elaborationis perfectionem iuxta benè valentis corporis leges adepta sit (a). Quoniam vero nil aetati nondum consistenti lacte utilius agnatum fuit, huiuscemodi fraudandus puer minimè videtur subsidio ad diuturnam usquè tempus protracto, donec maior illi firmitas, maiorque vigor advenierit, cum probè noverint Physico-Medici, ea, quae ingeruntur, debere maiori, minorive tenacitate sua viribus assimilantibus respondere, ne corpus gravetur potius, quam reficiatur. Quapropter nonnisi temerè, & inconsulto videntur agere qui ad novem, sive decēm vix menses pueros solo enutrire lacte assueverunt, & quandoquè una cum illo perarduae solutionis cibos ipsis oscitanter exhibent ingerendos. Humanam induit naturam maternum lac, si benè fuerit in foeminarum mammis fabrefactum quia penè omnibus utilissimum infantibus esse quotidiana nos edocet observatio. Illis itaque succensendum non est, qui ad multos menses propinandum illud esse pueris arbitrantur. Si quid vero haudquaquam commendandum censerem illud profecto est, quod nimirum non defuerint qui animantium lacte, potius quam mater-

S no,

(a) Fibrarum fortitudo, praesertim in ossibus, talis esse potest, ut ossa nonnulla immensam exigant vim ut ab externa pressione disrumpantur, velut in ossibus pelvis ostendit Desaguliers: *The bones, ait ille, mark'd, which compose the cavity call'd the Pelvis, contain a bony circle or double arch of such strengt, that it wou'd require an immense force to break them by an external pressure directed towards the center of the circle, or the middle of the Pelvis. It is also to be observ'd &c.* A Course of experim. Philos. Vol. I. lect. 4. ann. p. 257. London 1734.

no enutriendos esse pueros asseverare minimè dubitaverint, ea adducti ratione, quod nempè animi pathemata communia mortalibus vitari queant, si ab exsugendo materno lacte abstinuerint. Ego equidem illo deficiente utique fateor ad animales tuto confugendum esse, cum illorum quoquè lac partibus scatent optimum balsamum redolentibus. Notum etenim est, quantum in gravissimis quibusque morbis iuvamen porrigit, si exhibitum fuerit opportunè. Sed insuper adnotandum est, humano lacte quam plurimis brevius, & tutius mederi affectionibus, praecipue ad Phtiseos, Atrophiae, atque Hecticae classem referendis, ceu praestitum est a veteribus, quos multum commendat Galenus (a), qui eos fuerat imitatus.

### §. LXIX.

#### *Nutricum cautiones.*

**I**llud vel maximè in iis, quae lac praebent, sedulo curandum est, ut pravos appetitus, atque animi pathemata sanguinem alterantia minimè conlectentur, saluberrimum, ac uniforme regimen amplectantur, robustae sint, bonoque lacte affuant, nullisque morbis conflentur, &, si fas est, a propudiis, am-

(a) Οἱ παλαιοὶ δὲ καὶ γυναικεῖς θηλάσσεται εὑρίσκων τοῖς τῇ φεύγοντο, καὶ γὰρ δὲ ἀποδέχομαι τὴν γυναικὸν αὐτὸν. ὅτι τε τὸ μεῖον οἴραντο, καὶ ὅτι τρίς λυγήναται τῷ περὶς αἵρετι. ΓΑΛΗΝ. Θεραπευτικὸς μεθόδος. Κεφ. Ιδ.

plexibusque virorum abstineant (*a*). Hae si adhibeantur cautiones, aliaeve a viris doctissimis propositae, optima nutrix habebitur. Unam tamen istis nullimodè detrectandam adiicendam censeo, ex qua emolumenta non pauca nutrix, atque puer haurire valebunt, ut videlicet quae lac praebeant selectiorum vegetabilium utrum non despiciant: Tunc namque optimus eorumdem succus puero lactenti communicabitur, & morbis, qui ex eorumdem abstinentia promanant, non conflictabuntur. Si vero hisce peractis, maternoque lacte, donec adfuerit, exhibito, ad illud, quod ex animantibus exsugitur, gradus fieri velit, usquè dum longius absolvatur spatum, haud improbandum videretur: Ipsi etenim animantes optimis quibusque vescuntur vegetabilibus, è quibus nonnisi saluberrimus succus emergit. Hinc penes lectores iudicium sit, quanam fretus ratione semper animantium lac censuerit infantibus propinandum recentissimus Auctor, qui communicationi pathematum nimium fortasse videtur tribue-

S 2 re

(*a*) Communem tum a Graecis, tum Latinis Medicinae Scriptoribus prolatam sententiam ad usquè nostra saecula delatam Prosper Martianus primus, quantum sciam, voluit improbare, cum ex Hippocratis mente, ut ille ait ad lib. de Nat. Puer. v. 250., nutrices a virili concubitu arcendas esse denegavit: Ait enim, quod non rectè sentire videntur illi, qui coitum nutrieibus prohibent, lac indè vitiari existimantes; coitu enim mediante motus conicitatur in utero, a quo lactis generatio dependet, & ex coitu alacritas inducitur mulieri. .... imo si veneri assuetas abstinentia tantoperè laedit, quod viro orbatae quotidiè experiuntur, quae variis morborum generibus sunt subiectae, nutrices a proprio viro penitus segregare non est intum.

re (a) : Etsi enim nova quaedam effatum esse apparet, haec tamen naturae legibus adversari videntur, ex quibus perspectum est, lac foeminis ad alendos homines tributum fuisse; animantibus vero, ut propriae sobolis inserviat nutritioni, & in alias vitae usus ad depellendos praecipua morbos traducatur, quando illud, quod in mammis gignitur foeminarum, nequeat usurpari, tuncque huiusc defectus ab animalium lacte supplebitur. Huiusmodi demum si compleantur, raro admodum pueri debili fibra pollebunt.

(b) D'ailleurs les Peres, & Meres nourris de la chair des bêtes, on mis assez d'analogie entre le lait de celles-ci, & le tempérament de leurs enfans. La même proportion paroit subsister entre l'usage de la chair des animaux dans l'âge d'homme, & celui de leur lait dans l'état de l'enfant à sa naissance, avec cette différence, que le lait des bestiaux est à tout âge la nourriture la plus saine, & la plus propre à être changée dans notre substance; aussi voit-on des corps altérés, & épuisés par les maladies, & l'exercice immodéré des passions se rétablir avec l'usage de ce lait seul. Et s'il peut avoir une efficace si merveilleuse sur des tempéramens, qui ont pris toutes sortes de plis, & d'abitudes depravées pendant plusieurs années, que n'auroit on pas lieu d'en attendre pour le bien de l'enfant, qui vient de naître, dont le corps mou est pliable à toutes sortes de modifications? Et d'ailleurs étant destiné à s'accroître, on voit quel avantage c'est de ne former cette augmentation de substance, que d'une addition de parties aussi donnes, & aussi balsamiques. Vid. Traité de la communication des Maladies, & des passions; avec un Essai pour servir à l'Histoire naturelle de l'Homme. Par Monsieur \*\*\*\*. Tr. IV. chap. I. pag. 198. A la Haye 1738. Auctorem huius librī ait D. de la Mettrie Penelop. I. p. 83., esse Abb. Moreau de S. Elie. Confer. Alb. ab Haller in Adnot. ad Meth. Stud. Med. Herm. Boerhaave. Amstelodami 1751. ubi de Physiol., & Pathol. agit.

At in eo insuper insudandum est, ut nempè post absolutam lactis sumptionem illico ad cibos difficilè in ventriculo digerendos, solvendosque minimè gradus fiat: Tunc etenim non modo circulatio potest intercipi, sed & organa triturationi ciborum dicata enervabuntur, tenellumque adhuc corpus facilimè disponetur ad alterationes momenti non exigui subeundas (a). Prioribus itaqùè mensibus animantium carnes interdicendas illis esse arbitròr, ac potius recentia propinanda in intervallis vegetabilia, postquam iusculi, pultisque, aliarumque facilè solubilium rerum necessariam quantitatem accceperint cum lactis usu coniunctam; quod tamen haud novum videbitur si elapsa retro secula collustrentur (b). Tunc itaqùè non modo scorbuticas affectiones, aliasque quam plurimas ipsis familiarissimas evitabunt, sed optimum corporis habitum nanciscentur. Ac profecto cum teneriorem plurimis edulis vegetabilium esse texturam appareat, tunc minor requiriatur vis, dum in stomacho dissolvuntur (c). His, aliisque

con-

(a) Diuturnae lactationis experimentum Pharmacopaeus Pistoriensis tentare in proprio filio conatus est, eo quod ad usquè triennale spatium, non absquè magna imperitorum admiratione, eidem lac propinandum coniugi decreverit, ut exindè ad alia facile digerenda, & lacte ipso aliquando permixta transitus fieret; quod bene cessit infantulo, qui vegetum adeptus est corporis habitum, & perspicacis indolis pollicetur eventum.

(b) *Lacte mero veteres usi narrantur, & herbis.*

Ovid. Fast. I. IV.

(c) La differenza consiste principalmente nell'essere le parti fresche delle piante di molto più tenera tessitura, che quelle degli animali, e però molto più facili a fritolarsi, &c. Cocchi Disc. del Vitt. Pitagor. Firenze 1743.

constitutis, quae non est huius loci in medium afferre, clarè patet, quam plurimos a pueris evitari posse conatus laxam reddentes fibrarum texturam, dummodo in internis corporum cavitatibus exorti fuerint.

### §. LXX.

#### *Cautiones quaedam alterius generis.*

**A**llatis tamen non obstantibus, nequè ritè usurpatis, decumbenti aegroto valedicendum non est, licet efformato iam Aneurysmate nullus evadendi superfic locus, sed illi nihilominus, quoad fieri potest, iuvandum; certum siquidem est, ea, quae in minoribus vasis locantur Aneurysmata diutius protrahi. Iam nullum ex arte Chirurgica sperandum remedium esse perspectum fit consideranti, si morbus praecordia torqueat, cum quidquid Aneurysmaticum ibi adest acus nulla consuere possit. Syntomatum quidem compescere saevitatem Medici munus est, ut exinde vitae protractio, quoad fieri potest, obtineatur. Itaque non modo improbus labor, qualiscumque sit, vitandus est, nec non caetera praecavenda, quae absolutè noxia deprehenduntur, at ea sunt usurpanda, quae vitae longaevitatem absquè saevitie syntomatum pollicentur. Veruntamen internae cardiacorum Aneurysmatum causee diverse agunt, prout ad agendum disponuntur, sive quatenus multiplicis generis dispositiones humano extant in corpore, dum illae ad maiorem, minoremque vim exerendam aptae esse videntur. Non igitur eadem semper pollebunt saevitie syntomatam,

mata, adeoque iuxta eorumdem ingravescentiam necessariae praecautiones sunt dirigendae. Quum autem perarduum sanè facinus suscipiendum esse videatur, si ea, quae attigimus, ad quosdam veluti canones referri velint, hinc quaedam duntaxat occurrant constituenda, quae quovis morbi tempore tentari possunt.

## § LXXI.

### *Sanguinis missiones.*

Quoniam itaq; arteriae alicuius Aneurysma subire incipientis pulsatio concitator adeo perseverat, ut ambigi non amplius queat Aneurysma adfutrum, tunc sanguinis quantitas, simulque qualitas ex pendenda est: Ego namq; arbitror, Medicum aliquatenus aegrotanti ex praevio utriusque examine profuturum. Ac profecto dum amplior paulatim fieri coepit arteriae diameter, iam illa portio arteriae, ubi id contigerit, maiorem includit sanguinis quantitatem modo grumescentem, utque aliis placet, saniosam (a) modo vero in polyposam substantiam degenerantem

(a) Hallucinantur profecto qui absolutes determinant, quidquid nemp; in Aneurysmatico tumore reperitur tandem aliquando putrescere, & in fordescendentem amurcam mutari: Nam et si quandoque id ex aliis causis contigerit, statuendum tamen minimè videtur, id semper propemodum eventurum. Et sanè quamvis humorum maior alluvies in dilatatione arteriarum cernatur, hi quidem humores haud facile corrumpuntur, quia quid enim corruptitur propria debet pomoeria praetergredi, & alias in ca vita-

rantem (*a*) tractuque temporis adeo tumidam, ut quidquid ibidem continetur non amplius ex via circulationis dissipari queat. Quamobrem sanguinis missionem perperam videntur instituere qui autumant, ex imminuta sanguinis massa obstacula, quae praecoxiterant, removeri, nisi ad usque deliquium animi instituant, veteres Galenicae Scholae affectas imitari volentes, ut fractis nempè cordis viribus imminuatur exinde pulsatio; quod quidem esset maximoperè improbandum, quandoquidem Syncopes, & Hypothimiae admodum contumaces expectandae forent interitum exinde proximum inferentes. Caeterum si mediocris instituatur evacuatio vel ipsa permanente plaethora, maiori semper aget momento sanguis è sinistro cordis thalamo in arterias protrusus (*b*) atque ex adaucta eius-

vitates effluere sibi non proprias, uti de illo verificatur humore, qu in ventrem delabitur. Ego ipse ab experientissimo D. Franc. Pieratti olim in Pistoriensi Nosodochio Chirurgiae praceptor nunc Romae Chirurgiam ipsam exercente coxendicis sectionem sum intuitus, quae vitari nequibet ex satis manifesto poplitis Aneurysmate, quod post sectionem abscissum 16. sanguinis continere libras visum est, grumescens quidem, & nigricantis, non autem saniosi, nequè corrupti, et ex multo tempore idem sanguis ibidem latuisset: Nova enim accretio corruptioni reluctatur, & ope circulationis discutitur quidquid corrumpere valeret quantitatem sanguinis universam.

(*a*) Sanguinem, qui in tumore Aneurysmatio reperitur, propriam quandoquè fluiditatem asservare posse testantur viri doctissimi. Vid. De Gorter Brss. Medic. Syst. Tit. I. §. 56. num. 3. Harderovvici 1749.

(*b*) Vid. Bellin. De Sang. miss. prop. I. & II. Venetiis 1732. Patet post copiosam sanguinis missionem arteriarum pulsationem

ciusdem vi systalticus, & diastalticus arteriae motus subcrescit, & latior evadet Aneurysma. Quarè semper propemodum a tundenda vena abstinere satius est, eiusque loco sanguinis crassities, si qua inest, leniter discutienda, ne insignes metastases fiant, & insuperabiles, quae ubi latior evaserit diameter, paulatim depositae, tumorem iam innascentem amplifcent. Quum autem in motum agere corpus aegrotantes prohibeantur, hinc plaethora paulatim augetur, quae ad mittendum sanguinem Medicos necessario compellit. Hinc si sanguinis mittendi necessitas urgeat, hic è minoribus

## T

nem debiliorem evadere, sed aliquando de aucta velocitate dubitari nequit, veluti in canibus observavit Lovverus *De corde P. I. Londini 1669.*, & in equis Halersius *Animal Statiks S. 2. 22. London 1733.*, quod etiam in foemina uteri bæ Haemorrhagia laborante confirmavit Robinsonus *Animal Oeconomy Prop. 42. London 1738.* Quamvis autem appareat aperta vena sanguinem illius, & proximarum venarum novum adipisci gradum velocitatis, tamen huic rei non pauci opponuntur, ut Hambergerus *De ven. scit. n. 43. Jenae 1729.* quia neglexerunt velocitatis augmentum a sanguinis missione productum, quod est ut 200. ad 201. Inter hos recenseri possunt Quesnay *sur la saignées à Paris 1730.*, Senac *Traité du coeur, & Lettr. sur le Noix des saignées. à Paris 1730.*, Chevalier *Observations critiques sur le traité des saignées. à Paris 1730.*, Buttler *essay on blood Letting. London 1734.*, Langrish *Moderne theory and practice of. Physic. London 1738.*, Martin *De la phlebotomie, & de l'arteriostomie. à Paris 1741.*, Jaczon *De vera phlebotomiae theoria. Londini 1747.* Wattes *Of revulsion and derivation. London 1754. &c. &c.* Sed velocitatem in venis animalium revera crescere maioremque fieri quam in arteriis, eamdemque in ipsis etiam arteriis augeri auxilio LXXVII. experimentorum ostendit nuperrime Hallerus *Memoires sur le mouvement du sang., & sur les effets de la saignée scit. VII. &c. a Lausanne 1756.*

bus vasis educendus videtur, ne maioris momenti syn-  
tomata patefiant. Negligendum autem illud non est  
etsi non semper sit necessarium, quod silicet in parte  
semper opposita instituatur sanguinis missio, ut si vel  
polypus, vel Aneurysmaticum vitium in dextera parte  
constiterit, sanguis è sinistra mittatur, & viceversa.  
Tunc enim si quis sanguinis aductus motus deprehen-  
datur, minorem semper exeret vim, nequè illico su-  
bitanea patefient incommoda.

### §. LXXII.

#### *Animadversiones.*

**A**D hoc ut vera Aneurysmatis iam efformati idea  
obtineri queat supra caetera expendendum occur-  
rit, utrum pulsatio, quae in loco ex Aneurysmate af-  
fecto persentitur, iustum habeat praeternaturalem, qui  
diu persistat, coniunctamque habeat vibrationem. Haec  
non raro aequivoca sunt aliosque mentiuntur morbos,  
& nisi praevio subiificantur examini, non ita confe-  
stim ostendunt, Aneurysma iam efformari coepisse, cum  
aliorum evadant causae morborum, qui falsa cohone-  
stantur imagine. Quarè simplex in praecordiis palpi-  
tatio ab ea distinguenda est, quae existente Aneurys-  
mate persentitur: Tunc enim sanus evadet infirmus,  
qui tamen cito curandus est, ne ex simplici palpita-  
tione ad Aneurysmaticum vitium transitus fiat: Nam  
ex assidua, eaque non interrupta concussione vasa  
sensim debilium corporum infirmantur, atque eorum-  
dem vires protinus infringuntur. Accidit ergo, ut gran-  
diss.

diasculo iam mole sua Aneurysmatico efformato tumore, vix incoepisse credatur. Misso itaque sanguine eiusdem impetus augebitur (§. LXXI.), quo quidem adacto in interna, & glabra arteriosi canalis superficie maior evadet impulsus. Quum vero in spatio ex dilatatione tunicarum producto, si magnum praecipue fuerit, multum sanguinis contineatur grumescentis, coagulati, vel polyposam substantiam reprehesentantis, quedam in huiuscmodi spatio aderit resistentia, ex qua, superveniente sanguinis impetu, istiusmodi spatii ambitus magis magisque extendetur, obortumque subcrescat Aneurysma. Id autem eo magis periculum minabitur, quo grandior tumor est in aliqua arteriae portione productus, vel si quidquid ibidem continetur osseam, ac petrificatam substantiam repreäsentaverit, quam in aortae tunicis se observasse testantur Cowperus, & Cheseldenus (a) quamque lapidescentem in Zootomicis peragendis inquisitionibus in cane deprehendit Nicolaus de Bleghy (b) cordis substantiam occupantem. Denique illud addendum est, quod nempe ex cardiaco Aneurysmate magis aegrotantes ex missione sanguinis periclitantur, propterea quod ex proximo corde maior actio consequitur.

## T 2 §. LXXIII.

(a) Vid. *Of the Philosoph. Trans. Abridgment. Tom. II.* Aortae principium cartilagineum osseumque in dissecando foeminæ septuagenariae cadavere dum petechiales, eademque epidemicae Vindobonae grassarentur febres observavit Hase-noholius *Hist. Medic. Morb. epidem. sive febr. Petech. quae ab an. 1757. fer. finient. usq. ad an. 1759. Viennæ grassata est &c. pag. 64. Vindobonæ 1760.*

(b) Vid. *Act. Erudit. Lips. an. 1682. pag. 221.*

## §. LXXIII.

*Exempla aegritudinum, quae cum Aneurysmatae coniunctae non semper venae sectionem exigunt.*

**I**gnoratur insuper a nonnullis, utrum ex cardiaco Aneurysmate aliis produci consueverit morbus; quinimmo deprehensum est, huiuscmodi aegritudinem alias diversi generis, ut Hemophytin, Hypocondriam, atque Hydropem comitari (a). At supra caetera illa vel maximè expendenda occurunt, quae contingere haud raro videmus. Multoties ego ipse vidi quod iam ab aliis fuerat observatum, Hydropem nimirum pectoris in iis, qui adducto corripiuntur morbo, innasci quandoquè consueisse. Si itaque Hydrope inchoante, obscurisque manentibus supervenientis huiusc affectus indicis, mittatur sanguis, certissimum profecto est, attendendum fore proximiorem aegrotantis interitum: Nam praeter ea, quae in medium adducta fuerunt incommoda, utriusque morbi exacerbatio syntomatum pertimescenda est. Porro cardiaca iam constituta affectione usuvenire potest, ut ex missione sanguinis Hydrops, quo aeger forsitan caruisset, repente succedat: Sanguinis etenim velocitate ex sanguinis missione aucta (§. LXXI.), lymphatici humores

(a) Huius rei peculiare praebet exemplum Maximilianus II., in quo (postquam cor supra viginti annos palpitationes maximas persensisset) supra duas mensuras aquei humoris in cavitate pectoris relicta esse compertum est. Vid. *Hist. Morb. Uratislao. De Ilgdr. pecc. pag. 434. Lausannae 1746.*

res ad ea , in quibus detinentur , praetergredienda poteris facilius quam antea aptiores evadent . Id ipsum de Hydrocardia decernendum occurrit , quandoquidem praeternali posita cordis amplitudine huius indolis affectus innascitur ( § . VII . XXIII . ) . In viro circiter sexagenario , cardiaço quondam Aneurysmate laborante , nullum sanè aliud observabatur incommodum praeter ea , quae tales affectus comitantur symptomata , remissius quidem agentia . Sanguinem Chirurgus è brachio detraxit , ratus ex tali curatione initio morbi instituta pulsationem , quae insignis advenerat , cessatram ; quod tamen cum se naētum esse credidisset , alteram ex pede sanguinis missionem peragere in animum induxit suum , ut cordis vires ( veluti ille asseverabat ) retundi valerent . Incisione interim altera vice facta , dum sanguis è vena proflueret en contumax Lypothimia , praepeditus decubitus , languor , inappetentia , insignis in thorace gravitas , Orthopnaea , & multiplex exortus malorum numerus , quaeque iam pridem praeextiterant sensim exacerbata symptomata , ex quibus gradatim ingravescentibus subsequuta mors est , licet paulo antè faustum Chirurgus aegrotanti prognosim polliceretur . Dissecto cadavere verum Aneurysma repertum est , at cum Hydrope geminato , utrasque nimirum thoracis , & pericardii cavitates occupante , quod antè repetitas sanguinis missiones non modo extitisse , sed ne usuvenire quidem posse Chirurgus ipse somniaverat . Sed quotusquisque innocuam iactabit in hoc aegrotante missionem sanguinis , quandoquidem seclusis caeteris argumentis saevities repentina symptomatum , quae illico supervenerat , eventus assert securitatem ? Quum itaque sanguis ex optima

con-

constitutione in pravam quandoquè naturam degeneret, exinde morbi exitiales contingunt. Quamobrem si erosivum quoddam principium in sanguine deliterit, ceu fieri posse testantur Lancisius (*a*), Morgagnus (*b*), atque Leprotus (*c*), ex hoc efformatum Aneurysma subcrescat, & finitimae corrodentur partes, quemadmodum in foemina ipse observavi, in qua claviculas carie corrosas ex Aneurysmate pulmonalis arteriacae fuisse conieceram auctoritate fretus observatorum, quos inter praetermittendus non est Ruyschius (*d*), qui costas una cum sterno ad nihilum deductas ex insigni Aneurysmate deprehendit. Opinor itaque, haud leve subsidium ad protrahendam diutius vitam aegrotantibus esse posse, si praecognita, & adhuc extante huius generis acredine, medicamina, quae eamdem retundere, pravamque illius abiicerè naturam queant, propinentur (*e*)

## §. LXXIX.

(*a*) *De Met. Cord. & Aneurysm. I. I. Prop. 5., & I. II. Prop. 19.* *Lugdun. Batav. 1740.*

(*b*) *Advers. Anatomi. II. Animadv. 41.* *Lugdun. Batav. 1623.*

(*c*) *Vid. Inst. Bonon. Comment. Tom. I. pag. 347.*

(*d*) *Observ. Chirurg. Obs. 37. 38.* *Amstelodami 1691.*

(*e*) Quod si praeter acredinem cognosci possit incipiens coagulatio, acetum tot inutilibus medicamentis esse praeferendum vis eiusdem dissolvens ostendit, veluti confirmariunt praecaeferis Boerhaavius *Elem. Chem. Tom. I. P. I. Proc. 50.* *Lugdun. Batav. 1732.* & Benvenutus *De aet. vin. comment. Lucæ 1757.*

## §. LXXIV.

*Lactis, & seri usus.*

**L**actis, & seri usum semper propemodum adnotavimus, Aneurysmate laborantibus profuisse, adeo ut, etiam iam ex morbo conclamatum foret, diuturnioris vitae spes, quae infirmis affulserat, cum expectata diu maiori lucis usura coniungeretur. Nequè is ego sum, qui supervacaneam lactis, & seri analysim ob oculos ponere, simulque elogia velim contexere: Eximiae enim patent unicuique virtutes, quarum ope vel gravissimus quisque morbus removetur. Quod autem in adductis casibus expectandum aegrotantibus est, palliativam (ut inquiunt) respicit curationem neutiquam a prudenti Medico contemnendam. Haec vero, ut ut concipi velit, non nisi in urgentium saevitie symptomatum compescenda versatur; quinimmo vel illud in votis habendum est, ut nempe nova haud oboriantur symptomata, quae affectui calcar addere valeant delitescenti. Compertum est omnibus, descripto morbo obesse admodum posse intempestivam ingestorum ingluviem (§. LIV.): Tunc etenim organa ciborum triturationi destinata validè ad ea, quae ipsis competunt, obeunda officia disponuntur, positaque valida huiuscmodi actione, aliquid affertur molestiae praecordiis, cum maior exinde in arteriosis vasis evadat motus, ex quo recrudescit Aneurysma. Atqui ex lacte, sieroque enutritur corpus, atque dilutior fit sanguis, quin arteriosis detimenta vasculis afferantur, ex quibus aegrotatio persistans exacerbetur. Quodam

dam insuper vehiculum additur sanguini, cuius auxilio quidquid in Aneurysmato continetur tumore non tam facilè durescat, & ad polyposam naturam accedit. Nequè illud postremo videtur praeterendum, ea nempè, quae praeter lac, & serum assumuntur, facilis esse debere susceptibilia triturationis: Parum quippè, aut nihil proficeretur, si ea, quae ad vitam substantandam exhibentur: arduam in se solutionem includerent.

### §. LXXV.

#### *Remediorum usus.*

**Q**uaecumque de Hypnoticis, Narcoticisque circumferuntur a Medicis, opiatis præsertim, in efformato Aneurysmate propinandis, nil sanè aliud emolumenti aegrotantibus videntur afferre, quam ut anodynam præseferant naturam, adeo ut si circa præcordia dolores identidem supervenerint, eosdem lenire valeant, simulque refocillare aegrotantes, absque eo quod defixandis spiritibus animalibus nihil appareat esse cogitandum. Quod si iisdem uti quispiam velit, urgentibus doloribus usurpanda Hypnotica leviora censerem, propterea quod ad aestum sanguinis compescendum, illiusque motum hebetem, inertemque reddendum apta videntur, & promovendam perspirationem. Opiata vero cordis, & arteriarum laxare fibras, debilemque in ipsis inducere contractionem, concitatoremque coercere sanguinis motum a veteribus creditum

tum est (a). At ab opio circulationem celeriorem potius fieri observationes demonstrant, cum sulphuream, & alkalicam induat naturam. Opium inter venena, potius quam medicamenta, legimus recensitum, licet apud Orientales populos frequentissimè usurpetur (b). Quamobrem, et si promiscuis quandoquè remediis usi fuerint Medici, ab eius usu, quando fieri potest, abstinendum arbitror, nisi anceps potius quam nullum, experiri remedium quis velit, dum videntur aegrotantes iam ad interitum properare. Ea insuper, quae nonnumquam prodeesse mortalibus possunt, in eorumdem cedere perniciem non raro consueverunt, nisi fuerint prudenter adhibita, idque non de opiatibus tantummodo asservandum censeo, at de aliis quoquè medicaminibus, quae inopportunè in quibusdam morbosis affectibus propinata noxiam induerunt naturam, ipsisque praecordiorum vasis evasere infensissima: Patuit enim ex observatis, Adstringentia, & Chalybeata medicamenta, nec non Mercurialia ipsa non ritè proposita nocuisse, ipsumque Peruvianum corticem, caeteroquin in Febribus intermittentibus proficuum, stagnationes in vasis ultimi generis promovisse. Ex his itaque si va-

V. sanguis vasis morbus

forum,

(a) Hallucinati profecto sunt veterum nonnulli dum hoc ipsum asseruerunt: Observations enim ostendunt, iis qui cordis palpitatione laborant, talia medicamenta ideo nocuisse quia palpitationes maiores reddunt, & frequentiores. Prudenter itaque in cordis palpitatione ab opiatibus esse candum Schombergius afferuit. Vid. Aphor. Pratt. pag. 37. Amstelodami 1753.

(b) Vid. Lemery Dictionnaire des Drog. al Paris 1737. Geoffroy Mater. Medic. P. II. art. 4. Parisis 1741. Cartbeuser Fund. Mater. Medic. Sect. XI. cap. 2. §. 3. Francosurti 1745.

sorum elasticitas immutari possit, ipsumque fluidum affici, numquid & ipso in corde, ipsique adiacentibus vasis enasci poterit impedimentum aliquod ad cordis amplitudinem promovendam, innatumque Aneurysma exacerbandum accommodatum? Idem sanè deopiatis decernendum videtur medicamentis, quae licet innoxia esse possint, si opportunè praescribantur, in naturam tamen minimè proficuam commutantur, nisi cautè, ac benè parato corpori propinentur. Si ergo compescere Aneurysmaticos, qui exurgere aliquando solent, dolores valcent, fieri potest, ut nervosis propaginibus efficiant, unoque curato morbi syntomatae novus alter, & pravissimus morbus insurgat.

### §. LXXVI.

#### *Usus rerum frigidarum.*

**Q**ualicumque tamen proficia aegrotantibus esse possunt, nullo praedita tempore, ne dum calida, ipsis propinanda crederem, quandoquidem ex excedenti viscerum calore adaucta proinde vasorum actio conserueretur. Optimè autem videntur agere, qui aquas frigidae haustus talibus aegris identidem praebendos consulunt, ut fibrae maius robur, maioremque nanciscantur elasticitatem, quae parum diurna foret, si quod est ex aqua gelida consequutum eduliorum calor perdurare non sineret. Tanta profecto vis est quamcumque frigidarum rerum ad partem affectam applicationis, ut Aneurysma ipsum, citra arteriae discessio-

scissionem consequutum, in brachio servi cuiusdam ex immissa super tumorem nive sanatum referat Bartholinus (a). Quidquid igitur crassum, & ad concretiones suscipiendas accommodatum affatim haeret ubi maior est arteriosi vasis diameter, non adeo festinanter augebitur, quinimmo pro varietate loci saepè saepius imminuetur: Crassiores enim humores contrariis ex frigore vasis, in contigua retropulsi, circulationis viribus atterruntur. Nequè tecus pertimescendum videtur, ne ex huiuscemodi frigore rubra saltem sanguinis pars ad maius suscipiendum coagulum disponatur, cum ex corporis calore aquae gelidae vires retundi queant, & facultatem insitam cohibere. Sanguinis vero serum absquè ullo coagulo superstes erit, cum longè maius requiratur frigus adhuc ut congeletur, ceu ex Thermometro Farenheitiano concluditur, in quo 28. circiter gradu concrescit.

### §. LXXVII.

#### *Regimen in victu.*

**T**ENUIS denique victus ab iis exigendus est, qui ex Aneurysmate infirmantur, ne nimia promoveatur sanguificatio, ex qua, supervacanea adveniente plaethora, fibrarum distensiones contingent, siquidem adnotatum fuit (§. LXXI.), huiuscemodi aegrotan-

V 2 tes

(a) De Niv. us. Med. Obs. cap. 27. pag. 154. Massiae 1661.

tes plaethoricos, vel post enatum exinde affectum cardiacum, evadere consuevit, quandoquidem corporis motus peragere prohibentur (a). Quum autem sanguinis quantitatem neque imminutam nimis, neque affluentem esse oporteat, ut repentina morbi saevities arceatur hinc selectiori vescuntur alimento aegrotantes, nec non ab iis omnibus abstinebunt, quae praecordiorum Aneurysmata sponte producunt, productaque exasperant; quae quidem, licet non tuta semper pronunciari possint, tamen prudentis est adhibere. Quae igitur huc usque ad publicam, privatamque Medicorum, & aegrotantium utilitatem effari constitimus, peculiaria quaedam praecordiorum vitia respiciunt, non cuncta quidem, verum ea praesertim, quae sive ex praeternaturali magnitudine cordis, sive ex Aneurysmate tam vero, quam spurio adhaerentium ipsi vasorum profiscuntur, quaeque nonnisi ex assidue cadaverum inspectione apparere consueverunt. Verae tamen huiuscmodi affectuum causae, etsi primo intuitu ex abusu generaliori sex non naturalium rerum deduci queant, aliquae tamen inter has non omnibus obviae, quinimmo falsis Empyricis incomptae, veris luculenter observatoribus patefiunt, quae sedulam

(a) Laudata in iis sobrietas, qui hoc morbo laborant (id est Aneurysmate), ne aucta humorum copia, & cordis energia maior arteriae sequatur expansio, eo laudabilior est, quo minori data sanguinis quantitate liberior a cavitate Aneurysmatis aditus in arteriosum canalem patet; sic prolixior ibidem mora concrescibilis liquidi prohibetur, quo minus ad latera Aneurysmatis cohaerere, polipumque efficere possit. Fantonus Obs. Anat. Obs. I. §. 10. pag. 5. Venetiis 1713.

satis superque extorquere videntur observationem: iis  
 Namquè omnibus constitutis, quae peramplum redde-  
 re cor valent, nec non Aneurysmata progignere, iam  
 alia insurgunt noscenda non solum intus cor ipsum,  
 ipsiusque arteriosis vasis in omni propemodum huma-  
 nae vitae oborta curriculo, at in ipso ineuntis adhuc  
 aetatis flore, atque in pueritia ipsa satius conspicua,  
 quibus si varietates quaedam, coelique mutationes ubi-  
 cumquè plus minusque conspicuae superaddantur,  
 neque locorum cognitio despiciatur, iam perampla su-  
 perstruitur morborum seges, sive cor, sive vasa eidem  
 proximiora sollicitans, quin de Celtica lue, intempe-  
 stivo ciborum esu, exercitationibus, & morbis qui-  
 busdam innumeris ex incuria valetudinis propriae ma-  
 nantibus aliud dicendum occurrat longam mehercule,  
 quam Graeci ἀνακεφαλαιώσιν nominant, redditurum. Ad  
 quae nisi ritè curanda morborum genera, saltem com-  
 pescenda, leniendaque, nonnulla ex adductis prodesse  
 poterunt quovis vitae, atque egritudinis tempore Ra-  
 tionalibus Medicis haud perfuntoriè consideranda,  
 quin ingenti medicamentorum numero ipsa aegrotan-  
 tium corpora fatigentur.

## F I N I S.

## INDEX

# INDEX TITULORUM.

---

*Numeri paragraphos indicant.*

## PRAEFATIO.

<i>Medicinae origo.</i>	1
<i>Remediorum vetustas.</i>	2
<i>Medicinae propagatio.</i>	3
<i>Graecorum sapientia.</i>	4
<i>Romanorum sectae.</i>	5
<i>Scientia Arabum.</i>	6
<i>Medicina apud Europeos.</i>	7
<i>Medicina Etruscorum.</i>	8
<i>Occasio scribendi.</i>	9
<i>Operis distributio.</i>	10
<i>Aneurysmatum cognitio.</i>	11
<i>Esitus prudenter investigan-</i> <i>dus.</i>	12
<i>Cadaverum dissectio necessa-</i> <i>ria.</i>	13
<i>Anatomicorum inventa.</i>	14
<i>Vetus studii Chirurgici.</i>	15

## PARS PRIMA.

<i>Introductio.</i>	1
<i>Hominum querelae.</i>	2
<i>Aneurysmata apud veteres.</i>	3
<i>Veterum cognitiones.</i>	4
<i>Aneurysmatum observatio.</i>	5
<i>Aneurysmatum definitiones,</i> <i>&amp; divisiones.</i>	6

<i>Aneurysmatum efformatio.</i>	7
<i>Ingens cordis amplitudo.</i>	8
<i>Causae peculiares.</i>	9
<i>Varices venarum.</i>	10
<i>Vasa coronaria describuntur.</i>	11
<i>Vasorum turgescencia.</i>	12
<i>Sanguinis constitutio.</i>	13
<i>Cordis obstructiones.</i>	14
<i>Vasorum sanguineorum alte-</i> <i>rationes.</i>	15
<i>Polyporum indoles.</i>	16
<i>Polyporum efformatio.</i>	17
<i>Polyporum signa.</i>	18
<i>Aneurysmatis, &amp; polyposae</i> <i>concretionis coniunctio.</i>	19
<i>Erosionum efformatio.</i>	20
<i>Concretionum quantitas.</i>	21
<i>Cordis laesiones.</i>	22
<i>Hydrocardiae origo.</i>	23
<i>Pericardii alterationes.</i>	24
<i>Aortae Aneurysmata.</i>	25
<i>Aliorum vasorum vires.</i>	26
<i>Explicatur quomodo siant</i> <i>Aneurysmata</i>	27
<i>Puerorum Aneurysmata</i>	28
<i>Ciborum noxa.</i>	29
<i>Arteriarum ossificatio.</i>	30
<i>Foetuum nondum natorum in-</i> <i>commoda.</i>	31

Puer-

Puerorum aegritudines non-nullae.	32	Puellarum aegritudines non-nullae.	58
Prava puerilium corporum administratio.	33	Menstruae purgationis suppressio.	59
Animi perturbationes.	34	Artificum quorumdam Aneurysmata.	60
Sanguinis concrectiones.	35	Validarum tussium noxa.	61
Tusses convulsivae.	36	Aneurysmata cuiuscumque arteriae.	62
Auctae cordis vires.	37	Peculiaris observationis descriptione.	63
<b>PARS SECUNDA.</b>			
Tempestatum varietas.	38	Allatae observationis consecutaria.	64
Etrusci aeris mutationes.	39	Aucta arteriarum, & sanguinis vis.	65
Locorum constitutio.	40	Medicorum observationes.	66
Observationes nonnullae	41	<b>PARS TERTIA.</b>	
Effectus peculiares mutationis atmosphaericæ.	42	Curationis institutio.	67
Arteriarum vis immutata.	43	Lac diu infantibus exhibitum.	68
Veterum, & recentiorum usus.	44	Nutricum cautiones.	69
Regionum situs observandi.	45	Cautiones quaedam alterius generis.	70
Rusticorum regimen.	46	Sanguinis missiones.	71
Peculiares aliquae Aneurysmatum causae.	47	Animadversiones.	72
Aeris elasticitas.	48	Exempla aegritudinum, quae cum Aneurysmate coniunctae non semper venae sectionem exigunt.	73
Pravum vitae regimen.	49	Lactis, & seri usus.	74
Lues Venerea.	50	Remediorum usus.	75
Nonnulli effectus Luis Venereae.	51	Usus rerum frigidarum.	76
Laxitas inducta.	52	Regimen in victu.	77
Pravi salivationis effectus.	53		
Veterum ingluvies.	54		
Morbi ex prava ciborum quantitate, & qualitate manantes.	55		
Gymnasticae abusus.	56		
Hystericae Foeminarum affectiones.	57		

# INDEX

## RERVM NOTABILIVM.

*Numeri Imperiales ad Paragraphos Praefationis, & Arabici ad paragraphos huiusc Tractatus referuntur.*

---



---

### A

- A** Dae lapsus Medicinae inveniendae occasio. Praef. §. II.  
*Aeris elaterium plus, minusve suberescens Aneurysmati excitando non parum confert.* 46  
*eiudem natura praenoscenda.* 48.  
*Aegyptiorum Medicina ex Assyriis, Babyloniis, & Chaldaeis derivata.* III.  
*usus illorum in curandis aegritudinibus ad veterum normam accomodatus.* IV.  
*Anastomoseos exempla.* 62.  
*Anatomes Traumatica, & Vulneraria.* XIII.  
*Anatomicorum inventa quaedam enumerantur.* XIV.  
*Aneurysma aliud verum, aliud spurium.* 6  
*definitur.* ibid.  
*ijuvenibus magis familiaris esse solet morbus.* 47  
*ex erroribus in sex rebus, que a Medicis non naturales*

- dicuntur, deducitur.* 1  
*itius aethymon.* 6  
*ex polypo oriri potest.* 20  
*ex erosione.* 19  
*in aorta ascendentē saepius, quam descendente observatur.* 25  
*eiudem efformatio ex Mathematicis legibus deducta.* 27  
*amplitudo interdum determinari potest.* ibid.  
*in omnibus corporis arteriis non raro deprehenditur.* ibid.  
*in aorta saepissime sedem habet.* ibid.  
*haereditarium esse potest.* 31.  
*ex animi pathemate cuiuscumque indolis deducitur.* 34. 35.  
*ex humida coeli constitutione recrudescit.* 41  
*ex cœtu immodico.* 52  
*in foeminis a mensuram suppressione produci potest, & viceversa praecaveri.* 59  
*cum Apoplectica aegritudine eiudem effectus confunditur, & persaepe Apoplecticos occubuisse credimus eos, qui viti-*

vitium aliquod circa praecordia genitum habebant. 62  
 & non raro cum Hydrope. ibid.  
 curatio, quomodo cumque conveniat, exponitur. 67  
 huiuscemodi morbus usque ad multos annos protenditur. ibid  
 huic calida nocent. 76  
 tempus constituitur quando talis aegritudo incoepit obser-  
 vari. 5  
 Anni temporum varietates an-  
 sam praebent Aneurysmati. 38  
 Aorta componitur ex membra-  
 nis, quae coalescunt ex da-  
 sis minoribus. 53  
 ascendentis truncus amplior in  
 foeminis, quam in viris. 59  
 Arabum Medicina. VI.  
 his nota fuisse Aneurysma-  
 fertur. X. 4  
 Australes constitutiones cordi in-  
 fensissimae. 46

## B

Bibliotheca Alexandrina ab  
 - Arabibus combusta. III.  
 Bilis admodum pauca in cyste  
 de fellea collapsa. 66  
 VI  
 ibid

## C

Gadaverum sectiones quando  
 fieri incoepint. XIII.  
 Cardiaci Aneurysmatis idea. 7  
 Carotidis efficiatio. 30  
 Chirurgiae studium vetustissi-  
 num. XV.

illius cultus apud Empyricos  
 maximus, donec a Graecis  
 reformata fuerit. III.  
 apud Graecos multum claruit,  
 plurimasque ipsi collectiones  
 fecerunt, inter quas vetus-  
 tissima extat inter codices  
 Nicetae, qui in Bibliotheca  
 Laurentiana afferuantur. XV  
 Ciborum nimia quantitas no-  
 xia. 54  
 Clinica Medicina Graecis fa-  
 miliaris. IV.  
 Codices in Arabicum idioma  
 conversti. VI.  
 Concretionum quarumdam in-  
 dicia proponuntur. 17  
 Concubitus effraenatus Aneurys-  
 mati praebet occasionem 31 52  
 Conviviorum luxus. 3  
 Cordis amplitudo praeternatu-  
 ralis nondum accurate des-  
 cripta. IX.  
 variae, & peculiares aegri-  
 tudines. 66  
 vis difficulter determinari po-  
 test. 37  
 partes ossae. 20 30 63  
 amplitudinis quaedam si-  
 gna. 18  
 eadem amplitudo in foeminis  
 ex advenientibus catameniis  
 quandoque solvitur. 12  
 praeternaturalis ambitus tri-  
 plo maior observatus, &  
 duplum referens. 9  
 variae affectiones nominan-  
 tur. ibid.  
 praeternaturalis amplitude in  
 X ip se

- ipsa foetus efformatione fieri potest. 9  
*prolapsus, & aucta magnitudo ad Aneurysmatum classem reducuntur.* X. 9  
*Coronaria vasa Aneurysmati obnoxia.* 7  
*describuntur.* 11  
*turgidissima visa sunt.* 12 16  
*iporum quaedam proprietates.* 7 12  
*affectiones.* 11  
VI  
**D**  
*Democritus multa didicit ab Aegyptiis, Gymnosophistis, & Magis, quae Medicinam respicerent.* IV.  
*Diætetica Aegyptiorum, & Graecorum Medicina.* III. IV.  
*Dorsum diu curvare adeo perniciosum quibusdam fit, ut permulta exoriantur incomoda inter quae Aneurysmaticæ aegritudines.* 60
- E  
*Echimosis quid sit.* 6  
*Eclectica Medicina.* V.  
*Epilepsia Aneurysmati producendo confert.* 29  
*rusticis familiaris.* ibid.  
*Episyntethica Medicina.* V.  
*Etruriae viri doctissimi.* VIII.  
*situs optimus.* 45  
*constitutiones autunnales.* 40
- Europa Medicos habuit celeberrimos. VII.  
*Exercitationes corporis obesse possunt si immodicæ sint.* 56
- Fibrarum robur ex ingestorum usu deducitur. 68  
*Fœminæ propter conatus in partu exerendos Aneurysmaticis aegritudinibus obnoxiae.* 57  
*quaecumque lac praebent cautions quasdam adhibere debent, quæ proponuntur.* 69  
*Frigida medicamenta preexistente Aneurysmate propinanda.* 76  
*Frigus anni 1755. magnum illius vis in aliquibus locis maxima.* 42
- G**
- Galenum Aneurysmata perspexisse certum est. 4  
*eiusdem sententia de usu latetis.* 68  
*Graecorum abusus.* 3  
*Medicina.* IV  
*athenaea.* ibid.  
*templa numinibus Medicinæ patronis erecta.* ibid.  
*cognitio Aneurysmatum.* X. 4  
*leges, quibus parere consueverant dum Agonyticas peragerent exercitationes, constitutæ.* 56
- Gru-**

Grumescentes substantiae. 66  
 Gymnasticae artis luxus apud  
 veteres. 3  
 exercitationes, quae ad ipsam  
 reducuntur, in atmosphaericis  
 mutationibus proficiuntur. 44  
 & Graecis exultae. IV.

## H

Hæmorrhagiae scorbuticorum  
 ex acrimonia sanguinis eru-  
 untur. 20  
 Hippocrates Medicinae Dogma-  
 ticae, seu Clinico-Rationa-  
 lis institutor. IV.  
 illius liber Περὶ πυρδίνης a-  
 poeryphus. 4  
 cognita illi fuisse præcordio-  
 rum Aneurysmata certum non  
 est. ibid.

Honores Medicis concessi. VI.  
 Humiliorum locorum insalubres  
 constitutiones Aneurysmati  
 excitando idoneae. 49

Hydrargiri usus, licet quando-  
 que proficuus expertus sit,  
 obesse tamen potest si usque  
 ad ptyalismum aegrotantibus  
 propinetur. 53

Hydrocardia cum præternatu-  
 rali cordis magnitudine co-  
 niuncta haud facile agnoscitur.  
 73

eius causa. 7. 23

Hydrope inchoante sanguinis  
 missio mala. 73

Hypnotica medicamenta Aneu-  
 rysmati parum utilia. 75

Hysterica foeminarum affectio  
 valde corpus perturbat. 57

## I

Idiopathicum Aneuryisma expli-  
 catur. 7

## K

Keillii error. 27  
 Kellnerus in synopsis Observa-  
 tionum Medico-Physicarum  
 plura circa cordis, & arte-  
 riarum aegritudines exhibe-  
 bet. 66

Knips Macoppe de polypo, quem  
 in aorta situum esse cognove-  
 rat, epistolam scripsit, cu-  
 ius fragmentum exponi-  
 tur. XI. 66.

## L

Lac nisi infantibus diu præ-  
 beatur incommoda expectan-  
 da. 28

jis, qui ex Aneurysmate in-  
 si manturum ultum prodest. 74  
 animantium pueris haudqua-  
 quam exhiberi debet, nisi  
 materni defectu præcessen-  
 te. ibid.

juxta sententiam recentis  
 Aictoris potius exhibendum,  
 quam foeminarum. 68  
 usus quomodo in pueris justi-  
 tuendus. ibid.

- ad diuturnum tempus protractandus. ibid.  
diu propinatum. 69
- M**
- Maritima loca insalubria. 45  
Martiani sententia circa foeminas lac praebentes. 69  
Medicina primo Parenti revelata. II.  
eiusdem historia brevi synopsis exponitur. ibid.  
progressus a Mundi exortu usque ad Aegyptios. III.  
reditus ad Romanos. VI.  
Medicorum Rationalium minus. II.  
antiquorum veneratio. VII.  
Medicamenta quaedam in aliquibus aegritudinibus saluberrima obesse admodum possunt, nisi caute adhibita fuerint. 75  
Mensium suppressione in foeminae constituta nascitur aucta arteriarum pulsatio, ex qua non raro venarum varices, anxietas, &c. 59  
fluxus iisdem familiaris, si affluens admodum sit, noce-re potest. 58  
Methodicae Medicinae primordia. IV.  
Metus mortis causa. 35  
Morbi ex Aneurysmate orti. 73  
Mulierculae puerorum regimini destinatae ipsis admodum nocent terrorem incutiendo. 33
- Muscularis otio quomodo fiat. [15]  
Musti partes acidulac, & elasticæ. 64
- N**
- Narcotica medicamenta parum utilia Aneurysmate laborantibus. 75  
Nemora in montium cæcumini-bus constituta ventorum vim retundunt. 39
- Nummi in honorem Medicorum percussi. IV.
- O**
- Obstructiones Aneurysmati producendo non parum conserunt. 47  
Operis huius prospectus, & anacephalæosis. X. 77  
Opium circulationem sanguinis reddit celeriorem. 75  
Oraculorum responsiones expectabant veteres. 4  
Orientalis Philologia in urbe Dabir multum florens. VII.  
Osseae, ac petrificatae substanciae in aortae tunicis observatae. 72  
Ossium caries ex Aneurysmate. 73  
Otalgia laborantes ex aeris humiditate laeduntur. 42

P. Pe.

Pericardii humor describitur.	23	bus nimium indulgent.	32
phlegmone affecti signa.	24	ex cantu infirmantur.	ibid.
Persae Medicinam excoluerunt.		ex ciborum abusu.	54
[V.]		attente pertractandi.	67
Pharmaceuticae Medicinae ori-		Pulsationes arteriarum obser-	
go.		vandae.	72
Philosophicae disquisitiones Me-		Putrefactio sanguinis in Aneu-	
dicinae incremento peruti-		rismatico tumore contenti de-	
les.		negatur.	62
I.		causae.	24
Pica morbus foeminis familia-			
ris.	58	R	
Plinius perperam ratus est, cor-		Rachitis ex immodico parentum	
dis aegritudines nusquam		concubitu potest obvenire pue-	
produc.	22	ris.	32
Pneumatica Medicina.	V.	Romanorum Medicina.	V.
Polypus in aorta.	66	meres in Agonysticis exerci-	
in cordis ventriculis locatus		tationibus.	56
sanguinis circulationem non		errata quacdam.	3
semper remoratur.	16	Rusticorum aegritudines	46
citò perficitur.	ibid.	S	
est interdum haereditarius.	18	Sanguinis circuitum Synensibus,	
eiusdem signa nonnulla.	18 66	& Nemesio antiquitus inno-	
multiplex tum in venis, tum		cuisse fertur.	5
in arteriis aliquando reper-		globuli exigui.	13
tus.	21	beterogenea qualitas.	ibid.
cum Aneurysmate non raro		experimenta.	ibid.
coniunctus.	20 66.	concrectiones in corde ma-	
illius substantia ad instar glo-		gno.	14
mi.	66	quantitas maior in venis, quam	
Praecordiorum idea exponitur.	3	arteriis cadaverum reperi-	
morbi ex iis oriuntur rebus,		tur.	16
quae ad corpus quatiendum		qualitas in Scorbuto prava.	28
apta sunt.	ibid.	inquinamenta ex Venerea lue-	
eosdem magis apud veteres,		vasorum tunieis noxia.	51
quam recentiores exitisse		erosiva indoles.	51 64 73
credendum.	ibid.	quantitas, & qualitas in Aneu-	
Pueri facile tentantur Aneu-		rysate.	745 -
rysate.	2		
id ipsum accedit quoties fleti-			

- sysmatis curatione expendi  
 debent. 71  
 missionem non semper profuise  
 se Aneurysmate laborantibus  
 ostenditur. ibid.  
 haec, si conveniat, in opposi-  
 ta parte instituenda. 71  
 disoutienda crassities. ibid.  
 Scorbutici ex Aneurysmate fa-  
 cile infirmantur. 20 51  
**Sigma** Aneurysmatum, & poly-  
 porum aequivoca. XI.  
 Somno nimium indulgentibus  
 praecerdiorum languores ad-  
 veniunt. 44  
 Syntomatum saevities quomo-  
 do in Aneurysmate cobiben-  
 da. 70  
 Syphilitici Aneurysmati obne-  
 xii. 20

## T

- Thoracis cavitas dextera refer-  
 ta sanguine. 62  
 Tusses convulsivae Aneurysma-  
 ta tum in pueris, tum in  
 adultis producere possunt.  
 [36 61

## V

- Valetudinaria quando institu-  
 ta. VIII.  
 Florentini laudes. XIII.  
 Varix quid sit. 10

- cum Aneurysmate interdum co-  
 pulatur. 55  
 Vegetabilia pueris proponen-  
 da. 69  
 eorumdem usus nutricibus pe-  
 rutilis. ibid.  
 Venerea labes Aneurysmaticis  
 aegritudinibus producendis  
 idonea. 50  
 Veneris abusus apud veteres. 3  
 Ventriculi magni, & sanguine  
 ne referti observatio. 62  
 Veris tempore facilius patesunt  
 Aneurysmata. 43  
 Vermes in corde repertos esse  
 negatur. 20  
 Veteres in vitae regimine de-  
 linquere multum solebant. 3  
 ploratum lege vetuerant. 32  
 superstitionibus addicti. 4  
 locorum constitutiones sedulo  
 considerabant. 48  
**Veterinaria Graecorum Medi-  
 cina.** IV.  
 Victus tenuis in Anourysmate  
 laborantibus instituendus. 77  
 Vini partes. 64  
 eius spiritus oleum quoddam  
 continet. ibid.

## Z

- Zoologicae, sive Zootomiae  
 observationes. 21 27 63

F I N I S.

